AUTHOR:

SCHAAL, HANS

TITLE:

DE EURIPIDIS ANTIOPA

PLACE:

[JENA]

DATE:

1914

Master Negative #

92-80843-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schaal, Hans, 1888-
De Euripidis Antiopa. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Hans Schaal ... [Jena, Frommannsche buchdruckerei, 1914]
87 p. illus., 4 pl. 23½ cm.

Thesis, Berlin, 1914.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-21-92 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



DE
EURIPIDIS ANTIOPA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

HANS SCHAAL
MOENO-FRANCOFURTENSIS

**DIES PROMOTIONIS:
DIES XV. MENS. IUL. MCMXIV**

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM RETTULERUNT
UDALRICUS DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF
GEORGIUS LOESCHCKE

PARENTIBUS FRANCOFURTENSIBUS CARISSIMIS
SACRUM
QUINTOQUE LUSTRO FELICITER PERACTO
REDEUNTIS NUPTIARUM FESTI DIEI
DONUM

Eruere Euripidis fabulas fortunae casibus aut hominum negligentia oblivioni datas inde a philologiae doctrinae exeunte 18. saeculo renascentis primitiis hominum doctorum in votis et desideriis fuit, quibus viam praeisse eximia Valckenarii laus est. Insequenti saeculo auctus est eorum numerus, qui ut ingeniosa nonnumquam divinandi ratione, ita coniecturis et cogitationum insolidis structuris si non firma, at certe, quibus insisti potuit, fundamenta collocaverunt, quibus nisi, qui eis successerunt, expolita in dies magis et exculta interpretandi ratione ad restituendas fabulas accesserunt. Quae restituendi studia magnopere adiuta sunt amplo et laborioso Nauckii opere, qui omnium tragicorum per litterarum monumenta disiecta membra collegit, ut futurae philologorum subolis conamina data et expedita comparandi facultate sublevaret. In Antiopae fabula is est rerum progressus. Cum post tot virorum doctorum sedula et diligentia conamina maiorem fabulae partem coniecturis tantum adumbrari posse constaret, fausto et pergrato casu accidit, ut aridis Aegypti arenis et ruinis obruta chartarum rudera effoderentur, quibus tota fere exodus fabulae continetur. Quare redintegranda est quaestio, quam in primo dissertationis capite ita instituam, ut contra priores a firmis imprimis argumentis i. e. a fragmentis ipsis profectus neque ullius testimonii praesumpta opinione illectus ad certas, quae videntur, fabulae partes accedam et coniecturis tum denique utar, ubi alia via incedere nequimus, ut lacunas expleamus singulaque rudera inter se coniungamus. Cetera suo loco ac tempore dicentur. Quomodo fabulam restituendam esse censeam, postquam ostendi,

in altero capite artis quae exstant monumenta tractabo. Nam inde a Welckero monumentis persaepe litterarum quaestionibus inopia subsidiorum obscuratis lux affulsit ita, ut nunc, si quis de tragicorum fabulis agat, fines officiorum longius proferre et monumentorum auxilio uti oporteat.

Qua via progressus cum utraque persequerer, postquam ad haec studia Euripidea me incitarunt, ab utriusque scientiae, philologiae et archaeologiae, viris doctissimis et longe peritissimis, ab Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff et Georgio Loeschcke, unoquoque gradu adiutus et promotus sum, quibus gratiam ex animo refero debitam.

Praeter hos magistro carissimo, qui inde a litterarum primordiis consilio et opere studiis meis perpetuo favit, gratias quam maximas ago, Evaldo Bruhn.

I. Quomodo fabulam e fragmentis restituendam esse censeam.

Τὴν δὲ μέτ' Ἀντιόπην ἴδον, Ἀσωποῖο θύγατρα,
ἣ δὴ καὶ Διὸς εὔχετ' ἐν ἀγκοίνῃσιν ἰαῦσαι,
καί ῥ' ἔτεκεν δύο παῖδ', Ἀμφίονά τε Ζῆθόν τε,
οἳ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο,
πύργωσάν τ', ἐπεὶ οὐ μὲν ἀπύργωτόν γ' ἐδύναντο
ναιέμεν εὐρύχορον Θήβην, κρατερώ περ ἐόντε.

Od. 11, 260.

Quidquid de Antiopae fabula scimus, argumentis tragoediae apud grammaticos servatis, parvo fragmentorum numero, paucis chartarum resegminibus traditur. Proficiscendum est ab argumentis, quibus, quamvis pristinam fabulae formam accurate non referant, sed iam antiquitus retractatae, immutatae, auctae sint, ubi consentiunt, plerumque certa imago et a fraude et errore aliena datur. Ex Antiopae argumentis, quae in Hygini fabulis, in Apollodori bibliotheca, in Apollonii Rhodii scholiis servantur[1]), cum praesumas toti fabulae, magni sunt momenti; ex iis enim, quae de fabula restituenda concludi possunt, partim ipsa per se nascuntur. Antiopam cum Sicyone, quo fugerat, retraheretur, partum in Cithaerone monte edidisse tenendum est (Apoll. bibl. ἡ δὲ ἀγομένη (ἐκ Σικυῶνος) δύο γεννᾷ παῖδας ἐν Ἐλευθεραῖς τῆς Βοιωτίας et Eur. fr. 207

ἡνίκ' ἠγόμην πάλιν
κύουσ' ἔτικτον[2])).

Liberos testante scholio Apoll. Rh. (τεκοῦσα δὲ Ἀμφίονα καὶ Ζῆθον ἐξέθηκεν ἐν τῷ Κιθαιρῶνι παρὰ βουκόλῳ τινὶ) pastori

1) Hygin. fab. 8; Apoll. bibl. III 5, 5; schol. Apoll. Rhod. IV 1090.
2) Wilam. ita disposuit. cf. infra p. 26.

cuidam tradidit. Quae, ut in proximis memoria teneas, quaeso; nunc iam ad prologum accedimus.

1. Prologus.

Acerrima est philologorum disputatio, deo an homini attribuendus sit prologus, quorum maior pars (Matthiae, Welcker, Wagner, Hartung, Jahn, Johne, Weil)[1]) Mercurio favit. Sed hunc deum praefatum esse nullis argumentis firmari potest, nisi forte eum nuntium deorum hoc munere functum esse dicis. Quo iure deus ille se arva Oenoae habitare dicit? Nullo! Ex Ione Mercurius irrepsit.

Libero deo Ribbeckius primus indulsit, quem secutus est Tacconius, qui gravioribus argumentis pro hoc deo insistit. Nam cum nihil sit, quod Mercurium cum his regionibus coniungat, apud Liberum rem aliter se habere contendit, quod omnino probo. Sane ab oppido Eleutheris simulacrum dei ligneum Athenas traductum est et nonnullorum librorum auctoritate Eleutherae cum aliis oppidis de natu dei concertabant. Qua de causa et propter Cithaeronis montis propinquitatem Liberi his in regionibus cultum floruisse nemo negaverit. Quod Liberi dei in alio fabulae fragmento (203) mentio fit, eiusque cohors cum Dirca regina in scenam irruit, talia haud inscite excogitata sunt; tamen ad rem probandam non sufficiunt.

Concedendum est posse uti deum verbo ναίειν, quod saepius legitur in Homeri carminibus et apud tragicos (e. g. Il. 4, 166 Ζεὺς αἰθέρι ναίων; Soph. Ant. 1122 sqq. ὦ Βακχεῦ, Βακχᾶν ὁ ματρόπολιν Θήβαν ναιετῶν). Dum autem oppidorum et locorum sacrorum templa et sacella habitat, ut sacris faciundis dierum festorum tempus expleat, in arva, silvas, montes se confert Liber. Numina tantum rustica sicut Pan arva habitant, qui in montium et silvarum saltibus meridiei aestu fervente pastores et armenta terret. Qua de causa ab homine dictum esse fr. 179 iam Wecklinus, Grafius,

1) Taccone, Rivista di filologia XXXIII p. 49.

Arnimius[1]) censuerunt. Et re vera probatur versibus alius prologi, ubi Andromacha (v. 16/17) isdem verbis utitur:

Φθίας δὲ τῆσδε καὶ πόλεως Φαρσαλίας
σύγχορτα ναίω πεδί', ἵν' ἡ θαλασσία
Πηλεῖ ξυνῴκει χωρὶς ἀνθρώπων Θέτις
φεύγουσ' ὅμιλον·

fr. 179 Οἰνόῃ[2])
σύγχορτα ναίω πεδία ταῖς τ' Ἐλευθεραῖς.

perrexit fortasse poeta similiter atque in Andromachae fabula.

Accedunt aliae cogitationes fabularum struendarum artem observantibus. Argumenta fabulae, quae a multis grammaticis aliusque generis scriptoribus traduntur, in eo potissimum congruunt, quod a pastore educatore anagnorisis fit. Si deus praefatur, disserendum ei est de casa rustica pastoris, de pastore imprimis, tum de Antiopae eiusque filiorum fortuna. Pastorem ipsum, qui in insequenti fabulae cursu tantam mutationem perficit, cuius mentionem in prologo diserte fieri necesse est, nullo oculo conspicit, sed ex auditu tantum novit spectator. Omnia faciliora et planiora fiunt, si pastor ipse in prologo de sua et ceterarum personarum vita et sorte dicit, quod dicendum est. Obiicit Tacconius (p. 50): 'E tanto più crede il Wecklein d'essere nel vero, in quanto non si può ammettere, secondo lui, che Euripide abbia ripetuto nel drama due volte la stessa cosa.' Sed minime offendimur, nam si conferimus Ionem aliasque fabulas, in agnitione semper aliquid iteratur: nempe id, quod summi momenti est et quod ea de causa iam in prologo dictum erat. Quare cavendum erat, ne, dum relata iteravit, langorem et molestiam spectatori afferret poeta. Summae autem agnitionis partes hac iteratione maiore accentu afficiuntur ideoque ab audientibus facilius comprehenduntur.

1) Wecklein, Sitzb. bayr. Ak. 1878; E. Graf, Die Antiopesage, Halle 1884; H. de Arnim, Supplementum Euripideum, Bonn 1913.

2) Teste Dione Prus. 15, 9 pastoris et gregum dominus Oeneus, Pandionis filius, eponymus Οἰνόης; sed in ceteris exornavit narrationem auctor.

Primus Antiopae, quam scripsit Pacuius, versus apud Varronem l. l. VI 6 servatus est: 'ut ante solem ortum eadem stella vocatur iubar, quod iubata, Pacui dicit pastor:

exorto iubare, noctis decurso itinere' [1]).

Teste grammatico haec tribuuntur pastori, nec alio loco possunt stare verba ista, atque in ultimo initio fabulae i. e. prologi. Quibus cognitis pastorem praefatum esse fabulam nemo nisi, qui frustra edocentur, negaverit.

Sine ulla dubitatione prologo attribuendum est fr. 181

τὸν μὲν κικλήσκω [2]) Ζῆθον· ἐζήτησε γὰρ
τόκοισιν εὐμάρειαν ἡ τεκοῦσά νιν,

ubi veriloquiorum ludo nomina geminorum praebet poeta. Cum iam Aeschylus [3]) et Sophocles [4]) talibus lusissent, saepissime recurrunt apud Euripidem et Platonem conamina etymologica, quae e sophistarum consuetudine — post Heraclitum prima philologorum studia — afferre semper gaudebant [5]). Ex hoc fragmento plane apparet: pastor sane noverat matrem, nam unum geminorum Zethum appellat, quod mater eius locum partus quaerebat. Si casu quodam invenisset pueros, matrem locum partus quaesivisse nescire eum oportebat; sed a matre ipsa pueros tradente certior factus est. Filii ipsi, unde nati sint, ignorant; pastor Iovem patrem esse nescit. Hoc postea ab Antiopa, imprimis autem a Mercurio dicitur. Pastor regio loco eos natos et propter flagitium matris expositos esse scit.

---

1) scilicet surgo ad operas meas. Wilam.

2) cum Wecklino; sic faciliora fiunt, de quibus Tacconius p. 50/51 vanas coniecturas proponit.

3) Prom. 85/6 (Kirchh.) Προμηθεὺς — προμηθεύς; Ag. 666 Ἑλένη — ἑλέναυς; 1034 Ἀπόλλων — ἀπόλλων.

4) Ai. 430 Αἴας — αἰαί; Ai. 574/5 Εὐρυσάκης — σάκος.

5) Décharme, Euripide et l'esprit de son théatre p. 57. Inter multa alia cf. Ion. 661; Iph. T. 32; Bacch. 368; Hypsip. Arn. suppl. Eur. p. 62 v. 77, p. 63 v. 106; Nauck fr. 517; Nestle, Euripides, der Dichter der griech. Aufklärung p. 430, 88.

2. Parodus.

Contra priora conamina non statim ut in Bacchis chorum in scenam introducimus, sed censemus Amphionem venisse lyram manibus tenentem, cantasse, ut eum audirent, venisse senes Atticos [1]), ut a Cicerone de div. II, 64, 133 docemur, qui circa Oenoam habitant eodemque pastorum munere funguntur atque geminorum educator. 'Atticos' eos esse, etiamsi haec lectio apud Ciceronem non esset tradita, e fabula ipsa concludi posset, nam in chartarum fragmentis in Aegypto anno 1891 apud vicum Kourob (Fajûm) repertis, quae finem fabulae exhibent, ineunte exodo Lycus, Thebarum rex, ubi in scenam venit, a choro agnoscitur, quod regali pompa incedit. Et contra rex, ut postea videbimus, dum Antiopam fugientem persequitur, primis verbis chorum, quibus e finibus satellites mulieris sint, interrogat. Qua de causa, si ibi recte restituimus, regni confinium haud longe abesse apparet, neque ullo loco maiore iure rex ita interrogare potest nisi prope Oenoam [2]). Nam est angulus Atticus, ubi de agris et terminis, de angustiis et castellis semper erant controversiae. Et tum, cum spectatores Antiopae fabula delectabantur, Oenoa in ore omnium erat, nam autumno anni 411 Aristarchus castellum illud Boeotis proditione tradidit [3]). Ergo ut totam rem contraham: Thebanis vel Boeotis in finibus Atheniensium neque iubendi nec vetandi potestas est, nec regi Thebarum cum armatis intra eorum fines ingredi licet, nisi forte bellum eis infert. Quare Antiopae res in confinio Thebanorum aguntur, Οἰνόῃ σύγχορτα πεδία ταῖς τ' Ἐλευθεραῖς sub dicione Thebanorum i. e. Lyci sunt et senes Athenienses trans fines in Boeotiam se contulerunt.

---

1) Wilam., Die Spürhunde des Sophokles, Neue Jahrb. XXIX p. 13 adn. 1. Sonderabdr.; XXIX 1913 p. 461.

2) Thuc. II 18 ἡ γὰρ Οἰνόη οὖσα ἐν μεθορίοις τῆς Ἀττικῆς καὶ Βοιωτίας ἐτετείχιστο.

3) Thuc. VIII 98; Xen. Hell. I 7, 28; cf. Ed. Meyer, Gesch. d. Alt. IV p. 599 et Wilam. Ath. Mitt. XXXIII.

Quaerenti, cur senes Attici in Boeotiam se contulerint, venisse eos ut novi cuiusdam et inauditi instrumenti artem cognoscerent, qua Amphionem, pastorem quendam finitimae regionis, excellere audierant, verisimillimum est. Certe statuendum est colloquium inter chorum et Amphionem, quod aenigmatice de instrumento est et quomodo ipse musicus factus sit, demonstrat. Nam Pacui Antiopae in fragmentis, qui Euripidis fabulam expresserat, iocus nitidus servatus est, quo Amphio chorum et spectatores delectavit, testudinis dico aenigma, quod poeta sine dubio ceperat e Sophoclis 'Indagatoribus'. Cic. de div. II, 64, 133 (v. 2 sqq. Rbb³):

Amphio

Quadrupes, tardigrada agrestis humilis aspera
brevi capite, cervice anguina, aspectu truci
eviscerata inanima cum animali sono.

Attici

Ita saeptuosa dictione abs te datur,
quod coniectura sapiens aegre contuit:
non intellegimus, nisi si aperte dixeris.

Amphio

testudo.

Postquam his ambagibus novum instrumentum choro ostendit, Mercurium id invenisse et fabricatum esse et ab eo sese instrumentum accepisse chorum docet. In ultimis fabulae versibus (Arnim. p. 21, 70) breviter idem audimus

οὗπερ τόδ' εὕρημ' ἔσχες, Ἀμφίων ἄναξ.

Ad hanc narrationem Amphionis fr. 190 pertinet

λύρα — βοῶν ῥόσι' ἐξερρύσατο,

quibus verbis Mercurii furtum tangitur, qui incunabula et Maiae custodiam effugiens Apollinis fratris boves rapuit[1]). Fr. 192

χρόνος θεῶν τε πνεῦμ' ἔρως θ' ὑμνῳδίας,

1) Respicias quaeso hydriam Caeretanam Mem. dell' Inst. II 15 = Rein. Rép. I 229 et cylicem rubris figuris pictam Arch. Zeit. 1844, 20 (van Hoorn, De vita atque cultu puerorum monumentis antiquis explanato p. 9 fig. 3 = Rein. Rép. I 357).

cum insit sententia: ita musicus factus sum, loco movi et e disputatione fratrum huc transtuli et cum eo fragmentum 191 . . κρεῖσσον ὄλβου κτῆμα.

Restat, ut infuisse huic parti magnum neque ignobilem hymnum, quo musicae suae artis documentum dedit, teste Probo in Verg. Ecl. 6, 31[1]) doceamur. Initium eius carminis in fr. 1023 servatum esse gaudemus

Αἰθέρα καὶ Γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω[2]).

Parodum totam ita disposuerim: cantasse Amphionem hymnum illum, deinde exstitisse stichomythiam de instrumento ipso et de musica inter chorum et Amphionem, supervenisse Zethum. Haec e vestigiis et e tragico more admodum certa restitui posse crediderim; reliqua omnino dubia.

In ultimis vitae fabulis Euripides talibus additamentis parodum exornare et producere studuit, modo lyricis partibus insertis ut in Phoenissis Antigonae, in Ione[3]) Ionis cantibus, modo aliis novis rebus, ut resonante imagine in Andromeda (Aristoph. Thesm. 1060) et crotalorum sono in Hypsipyla (Arnim. p. 49, 9; Aristoph. Ran. 1305; Wilam., Die Spürhunde d. Soph., Neue Jahrb. XXIX p. 13 adn. 2).

1) Probus in Verg. Ecl. 6, 31 p. 21, 6: 'sunt qui binis principiis mundum discriminent. nam Xenophanes Colophonius terram et aquam prodidit: — consentit in numero Euripides, sed speciem discriminat. terram enim et aetherem inducit principia rerum esse in Antiopa.' Conferendum est Chrys. fr. 839, ubi immutatam Anaxagoream philosophiam profert poeta. cf. Wilam. Anal. Eur. 163; Valckenarius Diatribe cap. V 37; Leo, Satyros βίος Εὐριπίδου Nachr. Gött. Ges. 1912, 3 p. 278; Décharme p. 39 sqq.

2) Iam Wagnerus (Trag. Graec. Fragm. III p. 273) hoc fragmentum ad Antiopam referri voluit et Wilamowitzius Probi textum correxit scribens aetherem (Anal. Eur. 164). Eo magis miror, quod Nestleius dubitat de hoc fragmento, quod Arnimius quoque in fragmentorum seriem non recepit. cf. Philostr. Imag. I 10.

3) Ionis fabulam a Kranzio 'de forma stasimi' p. 43 adn. 1 recte in hoc tempus traductam esse moneo.

3. Actus alter.

Iam ad nobilissimam omnibusque temporibus dilectissimam partem accedimus, ubi disputationis fluctus aestuant, ubi frater fratri insistit alterque in suas ipsius partes alterum deducere conatur. Cuius disputationis fragmenta multa exstant a grammaticis vel rhetoribus servata, ut maxima e parte disputationis cursum sequi aut restituere possimus. Si quis quaerat, qua de causa hac e disputatione tot reliquiae servatae sint, pluribus modis responsum datur. Ostendit Euripides his in versibus fuisse se in sophistarum consuetudine, novisse se eorum dicendi et disputandi rationem; senserunt audientes, qui ipsi elegantiam linguae excolebant [1]) posse superari illos rhetores nobili dicendi forma, argumentorum magnitudine et pulchritudine, animi profunditate et urbanitatem sermonis et disponendi facultatem poetae perceperunt. Celeberrima omni tempore haec fratrum fuit disputatio. Accedit, quod id, quod Euripides proferebat, etsi a profano volgo alienum, tamen ab eruditorum cohorte ut capessendae virtutis imago suspiciebatur. Nam cum volgarem opinionem neglegeret, cum normam et regulam statuere vellet viri, quem Graeci μουσικὸν appellabant, etiamsi a rebus politicis abstinebat, tamen Periclis nobili illa sententia quasi in fundamento positus erat, φιλοκαλοῦμεν μετ' εὐτελείας, φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας, quod in Amphionis quoque ratione dicendi et imprimis agendi ex insequentibus manifestum erit.

Ex una parte iam vidimus Euripidis ipsius peculiari indole ac ratione hoc effici, ex altera accedit, quod genus in fabulas suscepit, quod Athenienses cottidiano usu haud ignorabant, orationum dico forensium. Saepius igitur in fabulis recurrit, quod ἅμιλλα vel ἀγὼν λόγων appellatur, imprimis in Suppl. 403 sqq. et Med. 446 sqq. [2]).

1) In his Aristophanes quoque, cf. Arist. fr. 397 D et scholium in Plat. IV p. 227 Herm. 'Αριστοφάνης ἐκωμῳδεῖτο ἐπὶ τῷ σκώπτειν μὲν Εὐριπίδην, μιμεῖσθαι δ' αὐτὸν et Ran. 1413.

2) Ἅμιλλα λόγων Med. 546. Suppl. 428. Dictys fr. 334; ἀγὼν λόγων Soph. El. 1492; Eur. Andr. 234. Phoen. 588, 930. Heracl. 116. Antiopa fr. 189.

Sententiae illae volgares, quibus vitae humanae genera et condiciones, vitia et virtutes describuntur, ab audientibus vel legentibus saepe adhibendo et iterando sicut apud nos 'geflügelte Worte' fiunt [1]), et cottidiano usu tritae per hominum genera servantur, ut modo hic modo illic recurrant. Quare in comicorum fragmentis haud raro tales versus e tragicis inveniuntur [2]). Quos imprimis florilegiis colligebant et servabant posteri, quorum prima iam Alexandrinorum aetate exstiterunt [3]).

Iam multi viri docti et acuti huic disputationi restituendae operam navabant. Si ego quoque nova conamina proferre audeo, ut faciam, ea causa adducor, quod contra priora [4]) ab argumentis traditis exeundum ideoque alia via imprimis Platonis (Gorgiae 484 D) pergendum esse existimo. Parum ut puto curaverunt viri docti verba tradita apud auctorem ad Herennium II, 27, 43:

'ita verendum est, ne de alia re dicatur, cum alia de re controversia sit; inque eiusmodi vitio considerandum est, ne aut ad rem addatur quid aut quippiam de re detrahatur aut tota causa mutata in aliam causam derivetur; uti apud Pacuium faciunt Zethus cum Amphione, quorum controversia de musica inducta est, disputatio in sapientiae rationem et virtutis utilitatem consumitur.'

et similiter Cic. de inv. I, 50, 94:

'. . . ut Amphion apud Euripidem, item apud Pacuium, qui vituperata musica sapientiam laudat.'

Refutanda est sententia eorum, qui a Zetho Amphionem ad venandum invitatum eumque repudiantem fingunt et

1) Quomodo haec fiant, primo Luciani de conscr. hist. dissertationis capite optime demonstratur.

2) Diphili in comoedia, cui Συνωρὶς inscribitur, Antiopae fr. 187 unus versus cum alio Iph. T. 535 coniunctus est, Ath. 247 B. cf. Strattis in Phoen. apud Ath. 160 B.

3) H. Diels, Deutsche Lit.Ztg. 17. Oct. 1891, Mus. Rhen. XXX p. 172 sqq.; Flind. Petr. Pap. III 1.

4) Valckenaer, Diatr. cap. 8; Nestle p. 35; Décharme p. 52; Weil, Études sur le drame antique p. 223, 240; Arnim, Suppl. Eur., qui fragmenta sola aliter coniungit omisso propter spatii angustias textu.

incerta coniectura nituntur, qui a Zetho ob id irascente fratrem lacessitum esse statuunt. In utroque loco, apud Platonem et apud auctorem ad Herennium, unde et quomodo orta sit disputatio, manifestum est: de musica. Et scenico ordine melius probatur quam his argumentis, nam cum Amphio iam adesset et caneret, frater recens advenit illumque canentem obiurgat, quare Zethus prior verba facit eiusque prima verba sine ulla dubitatione requiruntur in fr. 184

κακῶν κατάρχεις τήνδε μοῦσαν εἰσάγων
ἀργὴν φίλοινον χρημάτων ἀτημελῆ [1]).

Quo facto logico quodam ordine cetera asseruntur, ut disputatio cum enarrationibus et apud auctorem ad Herennium et apud Platonem congruat. Tum sequitur fr. 183

λαμπρός θ' ἕκαστος κἀπὶ τοῦτ' ἐπείγεται
νέμων τὸ πλεῖστον ἡμέρας τούτῳ μέρος,
ἵν' αὐτὸς αὑτοῦ τυγχάνει βέλτιστος [2]) ὤν.

'Hominum labores et gaudia maxime inter se differunt, alter hoc, alter illo munere fungitur, alter his, alter illis gaudiis delectatur; unusquisque autem ea semper sibi attribuit, quae ipsius corporis et animi viribus et facultatibus exsuperantur. Dum ego (sic fortasse pergit) totum diem laboro, venationi me do, stabulis prosto, quid facis tu? Unumquemque diem canendo fidibus et cantando degis! Amoena et sane percommoda vita, apta hominibus in labore remissis atque ignaris. Sed repudianda est laboriosis et strenuis, ... nam (fr. 187)

---

1) Postquam prior versus semper fere e pedestris sermonis sententiis Dionis 73, 10 et Sexti Emp. 754, 1 consertus est, Wilam. de trag. fragm. p. 25, dum ἄτοπον et ἀσύμφορον pedestria esse ostendit, rem ita instituit, ut insequenti versui Sexti Emp. 743, 3 ἀργὴν φίλοινον χρημάτων ἀτημελῆ anteponeret Eur. frag. inc. 395, cuius κατάρχεις hoc fragmentum in initio disputationis ponendum esse satis probatur.

2) βέλτιστος Plato Gorg. 484 E, Aristot. Rhet. I 11 p. 1371 b; κράτιστος Plato Alc. II p. 146 A.

ἀνὴρ γὰρ ὅστις εὖ βίον κεκτημένος [1])
τὰ μὲν κατ' οἴκους ἀμελίᾳ παρεὶς ἐᾷ,
μολπαῖσι δ' ἡσθεὶς τοῦτ' ἀεὶ θηρεύεται,
ἀργὸς μὲν οἴκοις καὶ πόλει γενήσεται,
φίλοισι δ' οὐδείς· ἡ φύσις γὰρ οἴχεται,
ὅταν γλυκείας ἡδονῆς ἥσσων τις ᾖ [2]).

In insequenti Platonis textum praebeo notatis eis sententiis et verbis, quae ex Antiopa sumpta esse videntur, nam inde a Valckenario maiore licentia hoc in fragmento (185) grassati sunt viri docti nec Platoni interpretando satis operam dantes nec cothurno digna restituentes.

486 A κινδυνεύω οὖν πεπονθέναι νῦν ὅπερ ὁ Ζῆθος πρὸς τὸν Ἀμφίονα ὁ Εὐριπίδου, οὗπερ ἐμνήσθην. καὶ γὰρ ἐμοὶ τοιαῦτ' ἄττα ἐπέρχεται πρὸς σὲ λέγειν, οἷάπερ ἐκεῖνος πρὸς τὸν ἀδελφόν, ὅτι ἀμελεῖς, ὦ Σώκρατες, ὧν δεῖ σε ἐπιμελεῖσθαι, καὶ φύσιν ψυχῆς ὧδε γενναίαν μειρακιώδει τινὶ διατρέπεις [3]) μορφώματι, καὶ οὔτ' ἂν δίκης βουλαῖσι προσθεῖ' ἂν ὀρθῶς λόγον, οὔτ' εἰκὸς ἂν καὶ πιθανὸν λάκοις, οὔθ' ὑπὲρ ἄλλου νεανικὸν βούλευμα βουλεύσαιο.

Inter Nauckii v. 5, 6 et ea, quae antecedunt, lacuna satis magna hiat, nam ἀσπίδος κύτει i. e. 'pugnam' statim sequi nequit 'neque aliis consulere par es'. Interponendum est, quod apud Platonem legimus καὶ οὔτ' ἂν δίκης κ. τ. λ., ubi verba οὔτ' ἂν δίκης βουλαῖσι poetam ita sapiunt, ut initium versus alicuius omissi esse appareant. Ad haec optime Nauckii adnectuntur

---

1) cf. Diphilus apud Ath. VI p. 247 C.

2) Archelai fr. 236—240 omnia e Zethi sententia dicta sunt, i. e. Euripidem, cum Archelai fabulam in tyranni honorem institueret, isdem sententiis, immo Antiopae fabula, in Macedonia usum esse satis apparet.

3) διατρέπεις F (coniecerat Grotius) : διαπρέπεις BTP : διατρέψεις Valckenaer (Platonis opera ed. Burnet). Dum Platonis cod. F lectionem accipimus, accusativum φύσιν ad διατρέπεις referri quam in textu Platonis participium λαχὼν (Weil) excidisse malimus. ψυχῆς verbo omisso (Arnim) frustra quaerimus, quid μορφώματι ⟨σώματος⟩ oppositum sit. At certe Euripidis γυναικομίμῳ Plato mutavit in μειρακιώδει.

οὔτ' ἄλλων ὕπερ
νεανικὸν βούλευμα βουλεύσαιό ⟨τι⟩.

Eiusdem ἀστῶν quoque haud displicet. Quod apud Olympiodorum haec frustra quaerimus, eum, ut par est, Antiopam e scholiis tantum novisse satis apparet (Wilam.). Quo filo sententia post fr. 187 perducenda sit, e verbis ἡ φύσις γὰρ οἴχεται apparet; arte coniunguntur cum Platonis Gorg. 486 A καὶ φύσιν ψυχῆς ὧδε γενναίαν διατρέπεις, nam generalem sententiam prioris fragmenti nunc in fratrem transfert Zethus. Ita hanc alteram (fr. 185. Plato Gorg. 486 A) partem haud inepte superiori (fr. 187) posse adnecti censeo. Asserendum est fr. 186 quasi conclusio huius partis,

πῶς γὰρ σοφὸν τοῦτ' ἔστιν, ἥτις εὐφυᾶ
λαβοῦσα τέχνη φῶτ' ἔθηκε χείρονα;

Nunc lacuna maior hiat, nam nullo modo reliqua cum antecedentibus coniungi possunt. Postquam adhuc Zethus de musica sola et de huius artis vi nocendi et periculo disseruit, e comparatione cum fratris responsis et fortasse chori fr. 206, de quo suo loco agetur, fr. 219 interponendum est,

κόσμος δὲ σιγῆς στέφανος ἀνδρὸς οὐ κακοῦ·
τὸ δ' ἐκλαλοῦν τοῦθ' ἡδονῆς μὲν ἅπτεται,
κακὸν δ' ὁμίλημ', ἀσθενὲς δὲ καὶ πόλει.

Omnes, qui tractaverunt, pastori haec verba [1]) attribuerunt, quem quamquam nosset, unde nati essent gemini, silentio hoc secretum se servaturum esse confirmantem finxerunt; equidem a Zetho contra artem rhetoricam dictum esse credo. Nam quid essent in ore servi verba ἀσθενὲς δὲ καὶ πόλει. Wilam. Herc. p. 480 v. 1334 rectam lectionem et interpretationem huius versus dedit. Quare omitto Nestlei interpretationem, qui hos versus hominibus, qui magistratu vel munere publico funguntur, attribuit. Zethi argumentorum seriem claudit fr. 188

1) Apud Arnim. suppl. Eur. frustra quaesivi.

ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ,
παῦσαι μελῳδῶν, πραγμάτων δ' εὐμουσίαν
ἄσκει τοιαῦτ' ἄσκει δ' ἀφ' ὧν δόξεις φρονεῖν
σκάπτων, ἀρῶν γῆν, ποιμνίοις ἐπιστατῶν,
ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ' ἀφεὶς σοφίσματα,
ἐξ ὧν κενοῖσιν ἐγκατοικήσεις δόμοις,

de quo restituendo permultae controversiae exstiterunt, de quibus nobis non convenit. Omissis ceteris Arnimi conamen mihi displicet propter versum alterum in tres partes scissum

παῦσαι μελῶν | τὴν δὲ πολέμων | εὐμουσίαν,

quem ab Euripide longe alienum esse crediderim. Ego contra Olympiodorum et Arnimium (p. 13 v. 21, 22) Platonis versum et optimam sententiam

παῦσαι μελῳδῶν [1]), πραγμάτων δ' εὐμουσίαν

et collato fr. 206 v. 6 sic scribendum esse censeo. Argumentatio in responso Amphionis tractando dabitur (p. 19).

Amphionis responsum haud difficile restituere possumus, nam casu quodam fausto ea maxime fragmenta servata esse gaudemus, quibus, dum exprobrationes fratris nonnumquam isdem verbis tangit, suas ipsius sententias diserte et acute exponit. E prima orationis parte, quae de musica est, nihil servatum est, nam fr. 192 et 191 parodo attribuimus. Tum pergit disputatio ad aliud argumentum, ubi vita beata divitiisque praedita homini sitne periculosa necne, quaeritur fr. 198 [2]).

1) ἔλεγχος hoc Platonis loco non argumenta, sed Socratis ipsius agendi, disputandi, docendi rationem significari constat, quare a Zetho minus apte dici videtur; placet e conexu et statu rerum Nauckii μελῳδῶν et Wilam. et mihi.

2) Et in chartarum resegminibus et in codd. Stobaei hoc fragmentum servatum est. v. 2 των pap., non τωμ ut legitur Flind. Petr. Pap. Additions and Corrections. v. 3 Stobaei codd. SM lectio charta]ον ουποτε exhibente probatur; εὐδαίμονα sententiae non convenit; Henseius ab interpolatore additum existimat; Buechelerus εὐθήμονα; ingeniosa quam novimus sagacitate E. Bruhnii, qui per litteras εὐδαιμόνων mihi proposuit, versus emendatur. Quare etiam Sophoclis fr. 297 cum Nauckio (Trag. dict. ind. s. v. εὐδαίμων) ἐν Διὸς κήποις ἀροῦσθαι μόνον εὐδαίμονας ὄλβους scribendum esse censeo.

εἰ δ' εὐτυχῶν] τις καὶ βίον κεκτημένος
μηδὲν δόμοισι] τῶν καλῶν θηρά[σ]ετ[αι,
ἐγὼ μὲν αὐτ]ὸν οὔποτ' ὄλβιο[ν κα]λῶ,
φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαιμόνων.

Arte cum sententia et verborum usu prioris partis fragmenti 187 coniungendum est

εὖ βίον κεκτημένος	εὐτυχῶν καὶ βίον κεκτημένος
θηρεύεται	θηράσεται

Sequitur fr. 196

τοιόσδε θνητῶν τῶν ταλαιπώρων βίος·
οὔτ' εὐτυχεῖ τὸ πάμπαν οὔτε δυστυχεῖ.
[εὐδαιμονεῖ τε καὖθις οὐκ εὐδαιμονεῖ][1])
τί δῆτ' ἐν ὄλβῳ μὴ σαφεῖ βεβηκότες
οὐ ζῶμεν ὡς ἥδιστα μὴ λυπούμενοι;

et fr. 197

βροτοῖσιν εὔκρας οὐ γένοιτ' ἂν ἡδονή.

His sententiis de divitiis et fortuna interpositis cum fr. 194

ὁ δ' ἥσυχος φίλοισί τ' ἀσφαλὴς φίλος
πόλει τ' ἄριστος. μὴ τὰ κινδυνεύματα
αἰνεῖτ'· ἐγὼ γὰρ οὔτε ναυτίλον φιλῶ
τολμῶντα λίαν οὔτε προστάτην χθονός[2]),

ad Zethi fr. 187 revertitur Amphio[3]), nam hoc quoque loco enuntiatorum concinnitatem videmus.

---

1) Versum 3, quem Arnimius denuo recepit, et Nauckius et Wilam. Herc. p. 330 v. 506 ut interpolatum abiecerunt.

2) Nestle l. l. p. 519, 21 'in v. 4 erscheint χθονὸς auffallend; Nauck conj. πόλεως wie auch Iph. Aul. 373. Da aber auch an letzter Stelle χθονὸς steht, wird man sich dem Sprachgebrauch fügen müssen cf. Suppl. 508 sqq.' Tenendum est χθονός, nam similiter utitur Euripides voce γῆ pro πόλις Phoen. 245, ubi Thebarum urbs ἑπτάπυργος ἅδε γᾶ nominatur.

3) Gradatim Amphio fratris opprobriis oppugnat, sicut Euripides in Ranis 894 orat.

fr. 187	fr. 194
ἀνὴρ ὅστις . . . παρεὶς ἐᾷ	ὁ ἥσυχος
ἀργὸς μὲν οἴκοις καὶ πόλει	πόλει ἄριστος φίλος
φίλοισι δ' οὐδείς	φίλοισιν ἀσφαλὴς φίλος[1])

In Melanippa quoque (Arn. p. 72 v. 86 sqq.) simili modo res navalis urbi gubernandae opponitur immutata autem sententia:

ναῦν τοι μί' ἄγκυρ' οὐδαμῶς σῴζειν φιλεῖ[2])
ὡς τρεῖς ἀφέντι· προστάτης θ' ἁπλοῦς πόλει
σφαλερός, ὑπὼν δὲ κἄλλος οὐ κακὸν πόλει.

Sicut fr. 186, ab Amphione conclusionis fr. 193 dicitur

ὅστις δὲ πράσσει πολλὰ μὴ πράσσειν παρόν,
μῶρος, παρὸν ζῆν ἡδέως ἀπράγμονα.

Nova pars a fr. 199 quasi a propositione thematis incipit, quibus verbis corporis infirmitatem (fr. 185) defendit:

τὸ δ' ἀσθενές μου καὶ τὸ θῆλυ σώματος
κακῶς ἐμέμφθης· εἰ γὰρ εὖ φρονεῖν ἔχω,
κρεῖσσον τόδ' ἐστὶ καρτεροῦ βραχίονος.

'Quid mihi corporis infirmitatem quandam et mollitiem crimini das? Nonne corporis vires indole et animi facultatibus superari scis? Magis timendum, ne ei homines, qui corporis tantum viribus nituntur et excellunt, deficiente victu et luxuria mali cives fiant; eorum φύσις facilius dilabetur fr. 201:

καὶ μὴν ὅσοι μὲν σαρκὸς εἰς εὐεξίαν
ἀσκοῦσι βίοτον, ἢν σφαλῶσι χρημάτων,
κακοὶ πολῖται· δεῖ γὰρ ἄνδρ' εἰθισμένον
ἀκόλαστον ἦθος γαστρὸς ἐν ταὐτῷ μένειν.

---

1) Eadem ratione disponit Aristoph. Ran. 1485 sqq.

ἐπ' ἀγαθῷ μὲν τοῖς πολίταις
ἐπ' ἀγαθῷ δὲ τοῖς ἑαυτοῦ
ξυγγενέσι τε καὶ φίλοισι.

2) cf. Pindari Ol. VI v. 100

ἀγαθαὶ δὲ πέλοντ' ἐν χειμερίᾳ
νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀπεσκίμ-
φθαι δύ' ἄγκυραι

et Herodae I 41. cf. Rothstein ad Prop. II 22, 41.

'Imprimis autem et in re publica gubernanda et in bello gerendo non viribus, sed virorum strenuorum prudentia et consilio opus est, nam . . . fr. 200

γνώμαις γὰρ ἀνδρὸς εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
εὖ δ' οἶκος, εἴς τ' αὖ πόλεμον ἰσχύει μέγα.
σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας
νικᾷ, σὺν ὄχλῳ δ' ἀμαθία πλεῖστον κακόν.

'Et quomodo hoc efficitur? quo instrumento usus civium turbas in tuas deducis partes? Arte dico rhetorica!'

In hoc certamine unumquemque fratrum a longiore argumentatione coepisse, tum brevioribus responsis alternantes colloqui crediderim. Stichomythiae quae dicitur formae ne vestigium quidem apparet, sed inter fratrum responsa chori interiectiones[1]) requiruntur alteri plausum, alteri offensionem dantis. Qua de causa postquam Amphio artis rhetoricae singulares virtutes vehementer laudavit (fr. 200), chorus eius sententiam non comprobavit, cum dicit (fr. 206)

ὦ παῖ, γένοιντ' ἂν εὖ λελεγμένοι λόγοι
ψευδεῖς, ἐπῶν δὲ κάλλεσιν νικῷεν ἂν
τἀληθές· ἀλλ' οὐ τοῦτο τἀκριβέστατον,
ἀλλ' ἡ φύσις καὶ τοὐρθόν. ὃς δ' εὐγλωσσίᾳ[2])
νικᾷ, σοφὸς μέν, ἀλλὰ γὰρ τὰ πράγματα
κρείσσω νομίζω τῶν λόγων ἀεί ποτε[3]).

---

1) Huc referendum fr. 189

ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος δισσῶν λόγων
ἀγῶνα θεῖτ' ἄν, εἰ λέγειν εἴη σοφός.

2) cf. Alexandri fr. 56.

3) Propter allocutionem ὦ παῖ equidem choro attribuo fr. 206 et propter sententiarum conexum in disputationem fratrum insero. Sed obstat versuum numerus, nam chorum, cum in disputatione persona activa non esset, tot versus interiecisse haud verisimile est. Wilam. fr. 206 insequenti Amphionis et Antiopae colloquio et Antiopae ipsi dandum esse proposuit, ubi Amphioni de geminorum divino natu dubitanti haec verba opponeret mater, nam ita sententiam refutari censet, credendum non esse Iovem geminorum patrem esse (fr. 210).

Quo audito Zethus fortasse pergit: 'Comprobo et his argutiis saepe fit, ut multi, quamquam ipsi rectissime et optime sentiunt, relicta sententia propria eloquentiam (εὐγλωσσίαν) oratoris vel amici sequantur': fr. 220

πολλοὶ δὲ θνητῶν τοῦτο πάσχουσιν κακόν·
γνώμῃ φρονοῦντες οὐ θέλουσ' ὑπηρετεῖν
ψυχῇ, τὰ πολλὰ πρὸς φίλων νικώμενοι[1]).

'Quare huic arti virtutem inesse praefracte nego; contra suo tempore tacere saepe κόσμιον est.' fr. 219 κόσμος δὲ σιγῆς στέφανος ἀνδρὸς οὐ κακοῦ (cf. Wilam. Herc. p. 480 v. 1334). Postremo cum fratris verborum fr. 199, 2 εἰ γὰρ εὖ φρονεῖν ἔχω recordetur, in fr. 188, quid illi omittendum, quid contra faciendum sit, imperat ac praescribit (ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ).

Haec verba e Platonis Gorgia 486 C et Olympiodori (in Archiv f. Phil. u. Paedag. vol. 14 p. 285) a Valckenario Diatr. cap. 8 eruta sunt. Inde locus a philologis coniecturis obrutus acuminis et errorum arena factus est. Teste Olympiodoro (ἐκεῖνος εἶπε τῷ Ἀμφίονι πολέμων δ' εὐμουσίαν ἄσκει, οὗτος δέ φησι πραγμάτων) in versu altero restituerunt viri docti πολέμων δ' εὐμουσίαν. Sed quo iure Zethus fratrem hortatur, ut bellis gerendis et bellicarum rerum studio se det? Nec venatio πόλεμος dici potest. Olympiodori verbis magnas difficultates textui afferri libenter concedo, attamen quem apud Platonem habemus textum Euripideos versus

---

1) E. Bruhn coll. Isocr. XV 180:

οὐδεὶς ἔστιν ὅστις οὐκ ἂν φήσειεν ἡγεμονικωτέραν πεφυκέναι (τοῦ σώματος) τὴν ψυχὴν καὶ πλείονος ἀξίαν· τῆς μὲν γὰρ ἔργον εἶναι βουλεύσασθαι καὶ περὶ τῶν ἰδίων καὶ περὶ τῶν κοινῶν, τοῦ δὲ σώματος ὑπηρετῆσαι τοῖς ὑπὸ τῆς ψυχῆς γνωσθεῖσιν,

valde me adiuvit vertens: sie sind ganz verständige Leute, wollen aber zumeist ihrer Seele nicht (den nötigen) Beistand (zur Ausführung des als richtig Erkannten) leisten, weil sie sich von ihren Freunden bestimmen lassen.

esse crediderim praeter vocem ἐλέγχων (cf. p. 15). Cui cum Nauckium secutus substitueris μελῳδῶν, versus e Zethi sententia et e conexu cum antecedentibus percipi posse demonstrare conabor. Disputatio, ut iam vidimus, cum in ultimas partes pervenerit, ab utraque parte alternando habetur. Dum oppugnat sententiae fratris, uterque argumentis suam ipsius comprobare conatur. Quare longae rixae pertaesus Zethus finem facit: 'Iam satis musici studii! Rebus gerendis et labori incumbere te decet!' et cum in v. 5 pergat:

ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτ᾽ ἀφεὶς σοφίσματα,

artem rhetoricam vel potius oratorum argutias opponit rebus gerendis idque probabilius est, quod brevi antea a choro similia audierat fr. 205

ἀλλὰ γὰρ τὰ πράγματα
κρείσσω νομίζω τῶν λόγων ἀεί ποτε.

Quaeritur denique, quomodo coniungantur ea, quae enumerantur in v. 4

σκάπτων, ἀρῶν γῆν, ποιμνίοις ἐπιστατῶν

cum studio belli gerendi? Nonne melius opponitur otiosum musicae studium rebus gerendis, quarum generalis sententia accuratius describitur in insequenti versu 4? Immo vero πολέμων inepta est explicatio.

In fine positum erat fr. 202

ἐγὼ μὲν οὖν ᾄδοιμι καὶ λέγοιμί τι
σοφόν, ταράσσων μηδὲν ὧν πόλις νοσεῖ,

ubi Amphionem fratris argumenta minime probantem videmus, attamen eum 'fraternis cessisse moribus' ex Horatii epist. I 18, 42—44 docemur et utrumque venationem paravisse verisimile. Quibus peractis scena omnino personis nudata est.

Fragmenta disputationis hoc ordine collocata repeto:

Zethus	Amphio	chorus
184		
183		
187	198	
	196	
	197	
	194	
	193	
Plato Gorg. 486 A (185)		
186		
	199	
	201	
	200	
		206
220		
219		
188		
	202	

Quid in hac disputatione quibusve rationibus quaeri potuerit, ostendimus; eo denique venimus, ut vestigia eius in Platonis dialogo Gorgia consequamur. Quid potest esse opportunius disputationi restituendae, quam quod in purissimo illius temporis speculo non ira et studio turbatam, sed serena luce philosophiae [1]) illustratam imaginem eius videmus, ut non sicut plerumque fit, fragmenta omni conexu carentia, sed sententiarum copiam et ordinem et contextum rerum perspicere possimus.

Quomodo Antiopae fabulae sententiae in Platonis Gorgia, qui longiore spatio intermisso — ad annum 390 fortasse descendamus — scriptus est [2]), recurrant, iam p. 484 C manifestum est

τὸ μὲν οὖν ἀληθὲς οὕτως ἔχει, γνώσει δ᾽ ἐὰν ἐπὶ τὰ μείζω ἔλθῃς, ἐάσας ἤδη φιλοσοφίαν,

1) Wilam. Anal. Eur. p. 177: 'Antiopa vel Platonem habet admiratorem'.

2) Wilam, Einl. in die griech. Tragödie p. 133; idem Phil. Unt. I p. 213 sqq. de nonnullorum poetarum eiusdem temporis operum coniunctione egit.

ubi mutata voce φιλοσοφίαν in μουσικὴν initium Zethi orationis habemus, quod magis etiam in insequentibus apparet:

φιλοσοφία γάρ τοί ἐστιν, ὦ Σώκρατες, χαρίεν, ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ, ἐὰν δὲ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων,

nam idem fere in fr. 187, 3 dicitur

μολπαῖσι δ' ἡσθεὶς τοῦτ' ἀεὶ θηρεύεται
(si quis musicae arti nimis indulget)

et διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων = ἡ φύσις γὰρ οἴχεται. fr. 187, 4

ἀργὸς μὲν οἴκοις καὶ πόλει γενήσεται,
φίλοισι δ' οὐδείς

a Platone leviter mutatur 484 D:

καὶ γὰρ τῶν νόμων ἄπειροι γίγνονται τῶν κατὰ τὴν πόλιν, καὶ τῶν λόγων, οἷς δεῖ χρώμενον ὁμιλεῖν ἐν τοῖς συμβολαίοις τοῖς ἀνθρώποις καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ.

484 D Antiopae versus fr. 183 exstant. 485 A sqq., uti Zethus de musicae artis studio, ita Callicles, quid de philosophia iudicandum sit, exponit. 'Pueros et iuvenes philosophiae disciplinam magis decere, quam viros, nam naturam et mores hominum molliri cottidiano et nimis frequenti usu (fr. 185)'. 485 D ὑπάρχει τούτῳ τῷ ἀνθρώπῳ, κἂν πάνυ εὐφυὴς ᾖ, ἀνάνδρῳ γενέσθαι et 486 A, ubi Plato sententia poscente consulto pro γυναικομίμῳ μειρακιώδει utitur, nam dum Amphionem musicis studiis 'effeminari' (quod ad musicam respicit) dicit Zethus, Socratem eiusque modi viros in 'pueriles' ludos recumbentes existimat Callicles. 'Philosophia, ut ait, hominem a vita publica et privata i. e. a vita activa alienum facit et, cum eum ad contemplationem ducat, ea de causa omni ratione caret (486 B = fr. 186). Ea non uti optimum est, nam argutiis illis tantum efficitur, ut deficiente victu exiguam vitam degeas!' (486 C = fr. 188.) Sed cum philosophiae defendendae studium praevaleat, in insequentibus de Amphionis responsis, quibus musica et imprimis oratoris ars laudatur, parciora servata esse non miramur. Ex his turba civium non eruditorum ampla dis-

putatione tractatur iam inde a 488 Δοκοῦν οἱ πολλοὶ τοῦ ἑνὸς κρείττους εἰσὶν κατὰ φύσιν; imprimis autem 489 E, ubi interiectione illa μὰ τὸν Ζῆθον Plato consulto ad priorem dialogi partem respicit et fragmenti 200 παράφρασιν praebet:

πολλάκις ἄρα εἷς φρονῶν μυρίων μὴ φρονούντων κρείττων ἐστὶν κατὰ τὸν σὸν λόγον, καὶ τοῦτον ἄρχειν δεῖ, τοὺς δ' ἄρχεσθαι, καὶ πλέον ἔχειν τὸν ἄρχοντα τῶν ἀρχομένων· τοῦτο γάρ μοι δοκεῖς βούλεσθαι λέγειν — καὶ οὐ ῥήματα θηρεύω — εἰ ὁ εἷς τῶν μυρίων κρείττων.

Plato in Gorgia cum contra sophistarum et rhetorum impuram et falsam sapientiam scriberet, quaerere quibus in fundamentis positi essent, qua ratione et via procederent, quem denique finem assequi studerent, ipsius philosophiae munus et officium non solum laude dignum, sed etiam gratum acceptumque esse ostendit. Cum nobilem illum dialogum ita institueret, ut duas partes opponeret, quae aliter sentiebant, aliter agebant et docebant, quarum haec philosophiae argumentis, illa artis rhetoricae argutiis in disputatione adversarium in suas partes deducere studebat, praeclarissimae illius disputationis — adulescens haec in scena ipse spectaverat — recordatus est, in qua moribus et natura discrepantes fratres inter se certantes finxerat, ubi vitam activam vitae contemplativae opposuerat Euripides. Qua ratione Plato eumque secuti Romanorum scriptores (cf. quoque Cic. de orat. II, 37, 155; de rep. I, 18, 30) in adhibendo Antiopae exemplo usi sint, iam vidimus nec disputationis formas amplius persequemur, sed medii etiam aevi temporibus vitae contemplativae et activae controversiam floruisse vitarumque simulacra ab optimo tum sculptore Michelangelo in Iulii II. papae sepulcro posita esse monere satis habeo.

De cantico chori, quod fratrum disputationem sequitur, nihil constat. Attamen, si cauta interpretatione duo fragmenta ei adscribenda propono, ut faciam, adducor, quod nobilissimum et pulcherrimum omnium Euripidis fragmentorum in suo loco poni vehementer cupio. In parodo

Anaxagoream philosophiam, quam in suum usum immutaverat poeta, in hymno illo Amphionem illustrasse verisimile est. Tum in disputatione musicae et rhetoricae artis, philosophiae virtutes, studia litterarum ut vitae humanae summa celebrantur, quae a Graecis una voce ἱστορία (in Platonis Phaed. 96 A sententia) explentur, quae Euripideo fragmento continentur, quo verborum maiestate et splendore ne unum quidem invenies nobilius. Quare auctoritate magistri praestantissimi nixus, qui Herc. I[1] p. 26/27 (Einl. in d. griech. Trag. p. 26/27) sic scripsit:

.... auch das hat man mit Recht bemerkt, daß Euripides dem wegen Gotteslästerung nicht sowohl als wegen μηδισμὸς vertriebenen Lehrer ein Ehrendenkmal gestiftet hat in den Versen 910

ὄλβιος ὅστις τῆς ἱστορίας
ἔσχε μάθησιν,
μήτε πολιτῶν ἐπὶ πημοσύνας
μήτ' εἰς ἀδίκους πράξεις ὁρμῶν,
ἀλλ' ἀθανάτου[1]) καθορῶν φύσεως
κόσμον ἀγήρω πῇ τε συνέστη
χὤθεν χὤπως·
τοῖς δὲ τοιούτοις οὐδέποτ' αἰσχρῶν
ἔργων μελέτημα[2]) προσίζει

Verse, in denen die apologetische Absicht zutage liegt. Daß sie auf Anaxagoras gehen, bestätigt sich dadurch, daß dieser der Typus des θεωρητικὸς βίος in älterer Zeit ist', hoc fragmentum choro post disputationem fratrum attribui velim[3]). Cum etiam de musica sit disputatio, quod eosdem numeros habet ac fr. 902 et eadem ratione cum pronomine ὅστις incipit, considerandum est, sitne inserendum huic chori cantico etiam fr. 1028

ὅστις νέος ὢν μουσῶν ἀμελεῖ,
τόν τε παρελθόντ' ἀπόλωλε χρόνον
καὶ τὸν μέλλοντα τέθνηκεν.

1) cf. Bruhn, Eur. Bacch. 396 adn.
2) cf. Wilam. Antig. v. Karyst. p. 180.
3) cf. Weil, Sept tragédies d'Euripide, introd. p. V, VI

Argumentis stabiliri non posse haec conamina valde doleo, nec quicquam certi habeo, quo defendor, si tu, qui legisti, Diodori in Satyri illo de vita Euripidis dialogo verbis uteris: κομψότερα φαίνει μοι λέγειν ἤπερ ἀληθινώτερα.

In proximis cum locum, ubi pede firmo consistamus, raro inveniamus, sed in lubrico versemur, brevis ero et tum tantum coniecturis nitar, cum nulla alia via incedere possumus.

4. Actus tertius.

Post chori canticum Antiopam in scenam induxisse Euripidem pro certo stare potest, nam cum in antecedentibus nulla lacuna esset, sed omnia inter se artissime conexa sint, prologus, parodus eiusque additamentum, κιθάρισμα, unde disputatio fratrum exorta est, Weilii sententiam non comprobo, qui Antiopam post prologum inducit, ubi Amphio, cum eam recipere velit, a Zetho duris verbis accusatur, quod servam fugitivam recipiat — haec omnia haud firma et ex argumentis tantum ficta sunt — et pergit p. 222 'et cette profonde diversité, qui les sépare, doit éclater à tout instant et devenir une source féconde de querelles', qua de causa a viro doctissimo tunc adnectitur disputatio. Ex eis, quae modo exposui, dubium non erit, quin logico ordine omnes fabulae partes se excipiant nulla lacuna intermissa. Quare nunc Antiopam introducenti hoc mihi certissimum est e comparatione aliarum fabularum: disputatione habita et pace facta nec morali nec physica qualitate et statu iam fratrum alterum ab altero distinxisse Euripidem et Z e t h u m i n m u t i h i s t r i o n i s p e r s o n a m r e c u m b e r e. Ita difficultatibus, quae propter trium histrionum consuetudinem exstiterant, sublatis insequentia faciliora fiunt, nam fratrum alternatione omissa simplici colloquii forma Amphio solus inde rem gerit, quare poeta a difficili in insequentibus utriusque distinctione liberatur.

In insequentibus Antiopam venisse certum est, quae τῶν δεσμῶν αὐτομάτως λυθέντων (Apoll. bibl.) i. e. intercedente divino numine vincula et duram vilissimae servae vitam

effugit. Quod Euripidis tragicum morem ita respicit, ut his Apoll. verbis omnino fidem habere liceat. Filii, qui disputatione finita de scena discesserant, revenisse hoc quoque certum est, sed qua re aut quo consilio adducti sint et quando iterum scenam introierint, scire nos aut accuratius describere posse negandum est. In colloquio, quod sequitur et quod matrem inter et filium fit, duae partes plane et certe apparent, u n a, ubi Antiopa rogata quae sit, quid velit, sortem et calamitates suas enarrat[1]). In a l t e r a parte longiorem excursum de servitute et servorum misera vita suspicari, fortasse probare possumus. In priore parte unum Amphionis et quattuor Antiopae fragmenta sunt:

Antiopa orsa a fr. 204,

πόλλ' ἔστιν ἀνθρώποισιν, ὦ ξένοι, κακὰ

nam convenit hoc fragmentum stichomythiae, qua colloquium ordiri necesse est, suae ipsius vitae id, quod quidem in prologo nondum audivimus, enarrat: fr. 207

ἡνίκ' ἡγόμην πάλιν
κύουσ' ἔτικτον[2]),

quod ex Apollodori bibl. III, 5, 5 et Hygini fab. 8 argumentis notum est. Tum ex Amphionis[3]) responso a Iove in satyrum mutato ei vim inlatam esse docemur, nam filius matri vehementer oppugnat: fr. 210

1) Huic parti fortasse attribuenda Pacui fr. 5, 6, 7, 15; fr. 6 et 7, quibus duris et ignobilibus laboribus Antiopa occupata fuerit, plane demonstratur: frumentum vel noctu mola terere coacta est. cf. Propertii (IV 14, 15): A quotiens famulam pensis oneravit iniquis. Posteri mulieris poenam graviorem reddiderunt ferreas fruges molere eam coactam esse narrantes (E. M. 60 ὅτι τὴν Ἀντιόπην ὁ Νυκτεὺς βασιλεὺς Θηβῶν θυγατέρα αὐτοῦ οὖσαν ἐποίησε χαλκᾶς ἀλήθειν κρίθας (Unger, Theb. parad. p. 82); confusione quadam eius poenae crudelitatem in patrem Nycteum transtulit auctor).

2) Wilam. ita disposuit.

3) Clem. Alex. Strom. V 715 Ἀμφίων λέγει τῇ Ἀντιόπῃ.

οὐδὲ γὰρ λάθρᾳ δοκῶ
θηρὸς[1]) κακούργου σχήματ' ἐκμιμούμενον
σοὶ Ζῆν' ἐς εὐνὴν ὥσπερ ἄνθρωπον μολεῖν.

Restant nonnulla fragmenta, ubi calamitatem suam queritur Antiopa, extremae autem desperationi se non dat, sed deliberans, quomodo miseria orta sit, fr. 208:

εἰ δ' ἠμελήθην ἐκ θεῶν καὶ παῖδ' ἐμώ,
ἔχει λόγον καὶ τοῦτο· τῶν πολλῶν βροτῶν
δεῖ τοὺς μὲν εἶναι δυστυχεῖς, τοὺς δ' εὐτυχεῖς,

et philosophica quadam ratione se consolatur: fr. 205

φρονῶ δ' ὃ πάσχω, καὶ τόδ' οὐ σμικρὸν κακόν·
τὸ μὴ εἰδέναι γὰρ ἡδονὴν ἔχει τινὰ
νοσοῦντα, κέρδος δ' ἐν κακοῖς ἀγνωσία[2]).

Alterius partis, ubi de servitute agitur, fragmenta, cum tam exigua sint et generalem sententiam exhibeant, in ordinem et conexum restituere non possumus.

fr. 216

οὐ χρή ποτ' ἄνδρα δοῦλον ὄντ' ἐλευθέρας
γνώμας διώκειν οὐδ' ἐς ἀργίαν βλέπειν.

fr. 211

φεῦ φεῦ βροτείων πημάτων ὅσαι τύχαι
ὅσαι τε μορφαί· τέρμα δ' οὐκ εἴποι τις ἄν.

fr. 218

φεῦ φεῦ τὸ δοῦλον ὡς ἁπανταχῇ γένος[3])
πρὸς τὴν ἐλάσσω μοῖραν ὥρισεν θεός.

1) v. 2 voce φωτός, quae libris traditur, sententia obscuratur, nam satyrum sub φωτὸς κακούργου subesse nemo suspicatus est. θηρὸς F. K. Schmidtii (Krit. Stud. 2 p. 452) coniectura propter animalis notionem optime versus emendatur et sensus illustratur. θῆρες cf. Eur. Cycl. 624. Soph. Indagat. 215.

2) Mirum in modum clarissimus Graecorum tragicus et Goethius eandem sententiam verbis immutatis proferunt, cf. Goethe, Westöstl. Divan, Buch der Sprüche:

'Wofür ich Allah höchlich danke?
Daß er Leiden und Wissen getrennt.
Verzweifeln müßte jeder Kranke
Das Uebel kennend, wie der Arzt es kennt.'

3) cf. Eur. Hec. 332.

fr. 217 . . τὸ δοῦλον οὐχ ὁρᾷς ὅσον κακόν;
quorum fr. 211, 218, fortasse quoque fr. 217, propter sententiam generalem choro attribuenda sunt, etiamsi de loco, ubi olim posita sint, dubitare licet.

Cum de restituendo colloquio desperemus, tamen quo animi motu et affectu et qua ratione Antiopa calamitates suas enarraverit, in Propertii carmine demonstratur, nam etsi Euripidis fabulam non accurate expressit, tamen quo animo haec gerantur, satis apparet idque poetae Romani plurimum interfuit.

5. Lacuna.

Dubitationes vero augentur in proximis, cum quomodo agnitio filiorum et matris facta sit, nullo loco certis argumentis tradatur, pastorem perruptis errorum nubibus matrem esse Antiopam edixisse tantum constat. Grafii igitur sententiam refellendam esse credo, qui agnitionem per infantium incunabula a Paus. I 38, 9 commemorata fieri voluit, nam Euripidem, quam in Ione excogitaverat agnitionem (Aristotelis a. p. 1454 b primam et minime artificiosam), repetere vix credendum est. Sed cum in ultimis vitae fabulis, in Ione, Hypsipyla, Melanippa varias agnitionum formas ostendisset, poetam in Antiopa omissis difficultatibus et impedimentis simplici agnitione usum esse censeo, cum, ubicumque huius fabulae argumenta exstant, hoc unum videamus perfectam esse per pastorem agnitionem, quae si difficilis factu fuisset, explicatius certe descripta esset. Quare pastorem, cum ab Antiopa, ut vidimus, infantes accepisse ideoque eam iam vidisse ostenderimus, tunc in colloquio matris cum filiis habito e narratione et visu agnoscere Antiopam persuasum habemus. Erravisse autem mihi videtur Hoffmannus in opusculo 'de anagnorismo' p. 45, 46, ubi exstat: 'Amphion et Zethus matrem postquam auxilium petentem primo domo inscii expulerunt[1]), per pastorem, qui eos educavit, cognoscunt, quare fit, ut celeriter matrem a crudeli cruciatu Dircae tueantur eamque ipsam illo crudelissimo supplicio afficiant', nam cum hac ratione agnitio et liberatio nimis raptim praecipitarentur, agnitionem iam prius factam esse censeo, in colloquio[1]), de quo iam egimus, cuius partes tantum statuere possumus, ubi Antiopae vita narratur et de servitute agitur. Paulo post agnitionem fieri credo, ita ut inter agnitionem et Dircae supplicium longius spatium intercedat, quod lyricis partibus et adventu turbulento parachoregematis eiusque Bacchicis cantibus[2]) maioris quam adhuc censuerunt viri docti, ponderis est, ubi Dircae reginae et invidiosae aemulae motus et affectus demonstrare, eiusque naturam et mores minutim describere poetae summae curae erat et quo melius in hoc potissimum spectatorum attentionem contraheret, simplicem reddidit agnitionem. Agnitioni fortasse attribuendum est Pac. fr. 13 'salvete gemini, mea propages sanguinis!'

Sed qua via perrexerit poeta, omnino ignotum tantisque offusis tenebris scintillas tantum perpaucas ad dispiciendum infesti casus reliquerunt. Nam quo tempore, quibus rebus adducta, quid factura Dirca scenam introierit, quid dixerit aut egerit, non constat. Cum poeta parachoregemate sicut in Hippolyto usus esset, eam cum maenadum cohorte irruisse e scholio in Eur. Hipp. 58 constat et ab ea per bacchationem Liberi illuc delata, postquam repperit, Antiopam ad mortem trahi ex argumento Hygini docemur. Huic parti, quod cum ea incipiant et in ea certe quaerendae sint Liberi dei commemorationes eiusque naturae et divinae

1) Hoc probo, nam Hygino et Propertio testibus Antiopa advenit, filii matrem parum intellegunt eamque recipere dubitant. Equidem statim tum agnitionem sequi mihi persuasi.

1) Euripidem, postquam in Ione et in Hypsipyla lyricam agnitionem adhibuit, dialogi minus artificiosa forma hic usum esse verisimile est.

2) Exigua fortasse rudera Bacchici carminis in Pac. fr. 12 'cervicum floros dispendite crines' exstant et Pac. fr. inc. 4

> agite ite, evolvite, rapite, coma
> tractate per aspera saxa et humum,
> scindite vestem ocius

ad Dircae chorum Bacchicum recte iam rettulit Hartungius (Eur. rest. II, 426).

potentiae laudes et documenta, attribuendum esse crediderim fr. 203, quod iam saepius tractatum est:

ἔνδον δὲ θαλάμοις βουκόλων ⏑ – ⏑ –
κομῶντα κισσῷ στῦλον εὐίου θεοῦ[1]).

M. Mayeri (De Eur. mythopoeia p. 76) emendatio probanda esset, si exstaret κοσμοῦντα, sed κομῶντα recte explicavit Petersenus in consessu societatis archaeologicae, cum de Frickenhausii opusculo 'Lenäenvasen'[2]) ageret, dicens collatis vasculorum picturis significari hedera comatam Liberi imaginem. Nec cum Kernio (Arch. Zeit. XI p. 113) facio, qui ex illo fragmento locum fabulae Thebas fuisse opinatur; concedendum est fuisse Thebis trabem hedera cinctam, quam pio corde ut dei numen colebant homines; sed hoc loco eam Thebanam non spectari, sed fabulae locum ante casam rusticam pastoris in monte Cithaerone fuisse tenendum est, etiamsi miro quodam casu ter novae personae ex urbe Thebis adveniunt.

6. Nuntii narratio.

Infuit denique lacunae nuntii narratio, qui ad chorum[3]), fortasse ad pastorem — nam filii et mater absunt — explicate de eis, quae viderat, de liberata Antiopa et de punita Dirca refert longo sane excursu. Eius nuntii unum tantum fragmentum servatum esse valde dolemus, nam certe magna vi et colore poetico praeditum neque haud dissimilem fuisse eum nuntii in Hippolyto narrationi opinor.

fr. 221

εἰ δέ που τύχοι
πέριξ ἑλίξας ⟨ταῦρος⟩ εἵλχ' ὁμοῦ λαβὼν
γυναῖκα πέτραν δρῦν μεταλλάσσων ἀεί.

---

1) ἔνδον θαλάμοις ferri nequit, sed ἔνδον ἐν θ cf. Aesch. Ch. 635 (Kirchh.); quare εἶδον Bothe; βουκόλων Wilam. Arist. u. Ath. II p. 42[13]; βουκόλον ⟨βλέπειν δοκῶ⟩ Max. Mayer, De Eur. myth. p. 76.

2) 72. Winckelmannsprogramm Brl. 1912.

3) cf. Suppl. 634 sqq., ubi ad mulieres conversus nuntius, quid factum sit, ostendit. Wilam. quoque Griech. Trag. II 3 v. 634 et 638 sic interpretatus est. Plautus Pseud. I, 2, 197 hanc scenam Antiopae derisit.

fr. 222

τήν τοι Δίκην λέγουσι παῖδ' εἶναι Χρόνου[1])
δείκνυσι δ' ἡμῶν ὅστις ἐστὶ μὴ κακός[2]),

propter generalem sententiam a choro dictum esse crediderim, postquam nuntius finem narrandi fecit. Nam quasi sententiae coniunctione cum insequentibus nectitur, ubi chorus easdem sententias profert de Lyci nece, quas hic de coniugis Dircae.

7. Exodus.

Post nuntii narrationem matrem et filios reversos esse ex initio fragmentorum nuper inventorum apparet, quorum conexum, qui primi ediderunt, non perspexerant. Tum Blassio contigit, ut ingeniosa illa animi sagacitate fragmentum B, quod omnes fere, qui legerant et quorum opera et labore Mahaffius valde sublevatus erat, Antiopae et pastori tribuerant, ad locum suum transponeret, cum partem esse infimam fragmenti C col. I dixit. Nemo adhuc fragmenta eo ordine pertractavit. Tacconius Blassii inventionem noverat — nominavit quidem Fleck. Ann. 1892 — tamen eam minime curavit eiusque interpretationem valde mihi displicere confiteor. Me pedem aliquantulum protulisse spero.

In fragmentis chartae tractandis primo textum chartae iterum ac saepius perquisitae formam adicto apparatu critico, tum commentariolum criticum et explicans praebebo et quae singulis partibus contineantur et quomodo diiudicanda sint ostendam.

---

1) cf. Eur. fr. 151.

2) Wilam. hoc fragmentum cuidam attribui vult, ὃν δίκη Χρόνου οὐ κακὸν ἔδειξεν, Amphioni, quem respondere censet ad Dircam obiurgantem eum, quod servili condicione ac vita utatur; idem fragmenta, ubi de servitute agitur, huc transferri vult. Solonis quoque in elegiis Χρόνος et Δίκη proditoris et ultoris munere funguntur (Hiller-Crusius 2, 15, 16; 8, 1, 2).

Fragm. Fl. P. P. A 1—16.

Amphio]ησδε μηδ' ὅπως φευξούμεθα,
εἴπερ γὰρ ἡμ]ᾶς [Ζεὺ]ς ἐγέννησεν πατήρ,
σώσ]ει μεθ' ἡμῶν τ' ἐχθρὸν ἄνδρα τείσεται·
ἴ]κται δὲ πάντως εἰς τοσόνδε συμφορᾶς
ὡς] οὐδ' ἂν ἐκφύγοιμεν, εἰ βουλοίμεθα,
Δί]ρκης νεῶρες αἷμα μὴ δοῦναι δίκην.
μένου]σι δ' ἡμῖν εἰς τόδ' ἔρχεται τύχη
ὡς ἢ] θανεῖν δεῖ τῷιδ' ἐν ἡμέρας φάει
ἢ καὶ] τροπαῖα πολεμίων στῆσαι χερί.
καὶ σοὶ μ]ὲν οὕτω, μῆτερ, ἐξαυδῶ τάδε,
σοὶ δ' ὃς τ]ὸ λαμπρὸν αἰθέρος ναίεις πέδον
λέγω τ]οσοῦτον, μὴ γαμεῖν μὲν ἡδέως
σπείραντ]α δ' εἶναι σοῖς τέκνοις [ἀνω]φελῆ·
οὐ γὰρ κ]αλὸν τόδ', ἀλλὰ συμμαχεῖν φίλοις.
πιθοῦ] πρὸς ἄγραν τ' εὐτυχῆ θείης [μολ]εῖν,
ὅπως ἕ]λωμεν ἄνδρα δυσσεβέστατον.

1]ησδε pap. 2 εἴπερ γὰρ ἡμ]ᾶς Wil. 3 σώσει Wil. 4 εἶ]κται propter lacunam Arn. fortasse]σται Wil. πάντων pap. πάντως Weil. 5]τουδ pap. ὥστ' Arn., ὡς Wil. 6]ρκης pap. 7 ἅπα]σι Blass, πρὸς τοῖ]σι Wil., μένου[σι Campb., Weil, Wil. nuperrime 8 ὡς ἢ Diels, Wil. 10 καὶ σοὶ μὲν Wil., Blass. 11 σοὶ δ' ὃς τ]ὸ Wil., Blass 12 λέγω Blass 13 σπείραντ]α Bury, Wil. ἀνωφελῆ in rasura; spatium nimis longum aliquid correctum esse satis demonstrat 14 οὐ γὰρ κα]λὸν Wil., οὐ σοὶ κα]λὸν Weil. 15 πείθου Arn., Nauck Ind. trag. ευτυχωσειη . . . ην; εὐτυχῆ θείης Bury, πάγην Diels; ego legi ευτυχηειη; ευτυχηθειης . . . ειν et [μολ]εῖν Wil., εὐτυχῶς εἴη [μολεῖ]ν Arn. 16 ὅπως ἕ]λωμεν Mah.

v. 1 in charta a]ησδε corruptae litterae η vestigium posse legi comparatis omnibus huius litterae formis, quae in charta exstant, concedes, nam semper hastis directis in superiore et inferiore fine curvatis ad latus recurrit (cf. v. 6, 7, 17). Quare Weilii coniectura

βουλῆς ἔχου
μάλιστα τ]ῆσδε

mihi haud displicet.

v. 2 mirabili modo iuvenis auxilium Iovis signum

paternitatis postulat, nam Iovem patrem esse nondum pro certo ei stat,

εἴπερ γὰρ ἡμ]ᾶς [Ζεὺ]ς ἐγέννησεν πατήρ.

ἀλλ' ὅσπερ ἡμ]ᾶς, Arnimii coniecturam, minime probo, nam vehementer dubitat Amphio de Iove patre, quare a Mercurio in ultimis fabulae versibus diligenter id enuntiatur et probatur. Eiusmodi de dis dubitationes saepius in Euripidis fabulis recurrunt, quorum comparatione usus εἴπερ etiam hoc loco sensu flagitari concedo iis, qui iam antea sic restituerant. Conferenda imprimis Phaethontis verba (cf. Arnim. suppl. Eur. p. 69 in inferiore columna v. 7).

εἴπερ πατὴρ πέφυκεν· οὐ κακῶς λέγεις.

multaque alia.[1]) Euripidem ex his sententiis, quomodo Athenienses imprimisque Aristophanes offenderint, plane apparet e Ran. 890 et Thesm. 450/51.[2]) Accedit, quod in Prop. carmine IV, 14, 21 Antiopa eodem modo dubitationes profert,

si deus es, tibi turpe tuam servire puellam.

v. 4. ἴ]κται cf. Troad. 684 et Thuc. VII 75, 6; εἶκται Arn., sed nec quarto a. Chr. saeculo neque Aegyptii scribae aetate iam ει pro ι pronuntiatum esse crediderim.

v. 7 μένου]σι: Arnimius τολμῶ]σι. Dirca necata duabus viis pergendum est fratribus: fugiendi aut manendi, quarum prior, cum minime eos deceat, refutanda est; quare manent, et manentibus certamen audendum est; requiritur praeterea in Arnimii coniectura, quid audeant fratres. Praeterea τολμῶσι lacunae minus convenit; hoc Arnimius raro curat.

1) cf. Aristoph. Ran. 890 et adn. Kockii in hunc versum; Euripidis fr. 900, quibus dubitantis hominis verbis opposita sunt fr. 991; non longe abest fr. 900 a Phoen. 86.

2) Non cum Ed. Meyero, Gesch. d. Alt. IV 157 consentio, qui Bellerophontis verbis fr. 286 sensum et animi motum poetae ipsius significari vult, qui se in Bellerophontis personam mutatum ostendat, sed cum scholio illo Med. 295 facio: τοῦτο δὲ οὐ δογματίζων ὁ ποιητὴς λέγει, ἀλλ' ἁρμοζόμενος πρὸς τὸ ὑφεστηκὸς ἦθος.

v. 14 οὐ γὰρ κ]αλὸν : οὐ σοὶ κ]αλὸν Weilii coniectura parum placet, quod sensus specialis inest; sed omnino neque homines nec deos decere contendit Amphio amicos in rebus angustis relinquere; quare generalis sensus οὐ γὰρ καλόν.

v. 15 πάρισθι, quod Weilio, ἀλλ' ἐλθὲ quod Dielesio placuit, Arnimii coniectura superari puto, quod Iuppiter ipse nec venit, nec veniet. Ab Iove postulari πιθοῦ [1]) ex Amphionis verbis, quae antea fiunt, optime e sententia requiritur. Nimia poetae licentia vindicanda est, qui ἄγραν vocem primam syllabam brevem exhibentem adhibuit.

In fragmento A Amphio diserte exponit, quid exspectandum sit. 'Iovis auxilio opus est, et si re vera pater est, nos adiuvabit; nam nunc eo ventum est, ut duabus tantum viis proficiscamur: mors aut victoria hostis sumenda est.' Tum praecepta dat patri, quae non multum differunt ab opprobriis Amphitryonis in Herc. v. 339 et 498 sqq. (Wil. Herc. p. 288; cf. quoque Phoen. 84). In ultimis Iuppiter invocatur, alius atque antea ferae venationi bonum det eventum, ut Lycus in manus filiorum incidat.

His verbis factis mater, quae adhuc in scena erat, nam v. 10 appellatur, et filii discedunt domumque intrant. Chorus solus manet et iam videt venientem eum, de quo huc usque verba facta sunt.

Fragm. Fl. P. P. A 17—27.

Chorus ὅδ' αὐτό]ς, εἰ χρὴ δοξάσαι τυραννικῶι
σ]κ[ή]πτρωι, Λύκος πάρεστι· σιγῶμεν, φίλοι.
Lycus ποῦστ' Ἀντιόπη [...............] αι πέτραν
δρασμοῖς ἐπ[.........] δε[....]κην
τίνες δὲ καὶ συνδρῶντες ἐκ ποίας χθο[νὸς
σημήνατ' εἴπατε[
δεινὸν νομίζων αὐτὸς οὐκ ἀτιμ[άσας
ἦλθ[ον] θ[
.]αλαι τις[
..]αν κατε[........] ωπειρω[
...]ν . πλ[

17 ὅδ' αὐτὸ]ς Weil 18 σ]κ[ή]πτρωι Bury 19 ποῦσθ' ἦν Campb., ποῦστ' Ἀντιόπη Blass 20 post δὲ Mah. σωθῆναι, in fine Wil. κην legisse sibi visus est 21 τίνες δὲ καὶ συνδρῶντες Blass, Wil. nec legi haec neque intellegi posse dicit. δὲ [καὶ π]ῶς δρῶντες Arn. ἐκ ποίας χθο[legitur 22 σημανατ pap., σημηνατ διπα Arn., σημήνατ' εἶπατ[ε Schaal. 25 initium versus a scriba correctum, quare difficillimum lectu, fortasse παλαι τις vel τοσ Wil., τος Arn. 26 αν κατε Wil., αν κατεῖδ[ον ἀ]νδ[ράσ]ιν πειρω[μένην Arn., εν et ωνπειρω[Sch. 27 αιπλ Arn.

1) Sermo tragicus semper fere πιθοῦ.

v. 19 in charta etsi aegre, tamen certe legitur πουσταντιοπη

v. 21 δεκαισυνδρ et ποιας χθο[νος, quod ex analogia Hypsipylae firmatur (Arn. suppl. Eur. p. 53 v. 32)

τί]νες μολόντες καὶ χ[θ]ονὸς ποίας ἄπο;

quare consulto ea requiri a rege iam demonstravi. συνδρῶντες: Lycus Antiopam solam esse non putat, sed postquam fugit a quibusdam hominibus adiutam et occultam esse recte censet.

v. 22 σημανατ ειπατ in charta σημήνατε εἴπατε certum esse mihi videtur et consulto poetam alteram vocem addidisse infra demonstrabitur. In Hippol. 1155, Ione 750, Andr. 1048 σημήνατε tantum exstat.

Regem Lycum chorus Atheniensium ut par est non novit, versu 'εἰ χρὴ δοξάσαι τυραννικῶι σκήπτρωι' nobis demonstratur agnosci Lycum, quod sceptrum tenens advenit. Et praeclara est poetae ars. Tacet [1]) chorus, dum exspectat, quem finem habiturus sit dolus fratrum. Tum celeri cursu exanimatus festinatione Lycus in scenam prorumpit armatis circumdatus. Exstante initio eius verborum ποῦστ' Ἀντιόπη hoc pro certo stat. De ea nunc quaeri etiam proximo versu δρασμοῖς .... πέτραν elucet: 'ubi est Antiopa, quae effugit in montes?' neque exspectat responsum, sed statim pergit: 'quinam eam adiuverunt? quanam e regione vel oppido sunt?' Et iteratione illa σημήνατ' εἴπατε festinationem et motum animi perspicimus.

1) Cf. Eur. Hec. 724/5.

Tum corrupta charta multorum versuum iacturam, quorum tamen spatium et numerum accurate statuere possumus, valde dolemus. Quare primo quaerendum est, quot versus exciderint. Iam in fine fr. A venientem Lycum in scenam, in fr. B col. I cum homine quodam eum colloquentem et domum ineuntem, ut Antiopam comprehendat, videmus. Incipit fr. A a superiore margine, totum chartae folium praebet — ut elucet e fr. C col. II — 36 vel 37 versus, quare in fr. A deficiunt decem fere versus. Fragmentum B pars inferior totius folii est, nam exstat margo inferior, quare deficiunt 20 versus. Inde ab adventu (fr. A. v. 19) usque ad huius personae περιπέτειαν (fr. C col. I) intermissi sunt sexaginta fere versus et ita disponenda sunt fragmenta.




Fig. 1.

Fragm. Fl. P. P. B I — C I 2; Arn. v. 1—8

]ρας ἥδομαι κα[κ]ῶν ἕκα[ς
Lycus οὐκ ἀσφαλὲς τόδ' εἶπας, ἄνθρωπε, στέγος;
Pastor δρᾶν δεῖ τι· κείνους δ' οἶδ' ἐγὼ τεθνηκό[τας.
L. καλῶς ἄρ', εἴπερ οἶσθα, ταξώμεσθα νῦν.

1 κακῶν ἕκας Bury 2 στύγος Blass, σκέπας Mah. 3 ἐκείνους pap. τεθνηκο[pap.

P. τάξιν τίν'] ἄλλην ἢ δόμων στείχειν [ἔ]σω;
] καὶ πρὶν οἰκοῦμεν [
L.] τοὺς ξένους ἐῶν μ[
P. δόμων δ' ἐπαινῶ] δορυφόρου[ς] ἔξω μ[έ]νειν.
L. τί φήις; ἕπονται πά]νθ' ἵν' αἴ[ρω]σιν φό[βον.
P. θάρσει· τόδ' ἡμ]εῖς καὶ σὺ θήσομεν καλῶς·
ὁρᾶις γὰρ ὀλίγον πλ]ῆθός εἰσιν οἱ ξένοι,
] οὐκ ἔχουσιν ἐν χεροῖν.
L. ἀλλ' ἄγετε δὴ φ]ρουρεῖτε περίβολον πέτρας
κύκλωι μολό]ντες· κἄν τις ἐκπίπτηι δόμων,
συλλάβετ'· ἐγὼ] δὲ παῖδα N[υκτέω]ς ἐμῆι
θέλω φονεῦ]σαι χειρὶ καὶ τάχ' εἴσεται
φίλους μακρὰν ἀπό]ντας, ὡς μάτην λόγωι
καλεῖ θανόντας συ]μμάχους ἀνωφελεῖς.

5 τάξιν τίν'] Wil. 8 suppl. Schaal 9 τί φήις; ἕπονται Sch., reliqua suppl. Arn. 10 θάρσει Sch. 11 Wil. 12 litteram fractura chartae abolitam τ non esse nuperrime vidit Wil. 13—18 suppl. Sch. 13 fortasse μακρὰν ἀπό]ντας, cf. Phoen. 906.

v. 1. στεγ pro certo stare potest, nam Blassii [1]) lectiones praeclarissimas omnibus fere locis probare potui; hoc loco στυγ[ος legit; sed scripsit in charta scriba litteram ε adaequatam fere υ, quare quomodo Blassius υ legerit, plane apparet.

v. 13. φ]ρουρεῖτε : φρουροῖτε Arnimii optativum minus usitatum inveni, quare e comparatione aliorum locorum (e. g. Herc. 244, 322, 724) imperativum ut formam magis adamatam restitui. περίβολον πέτρας : περιβόλῳ πέτραν Arn.; cum fr. A 19 quoque mons voce πέτρα significetur, hoc loco chartae textus non mutandus est.

v. 14. πάντηι βλέπον]τες Arnim.; cum remittere custodiam et pastoris et chori magnopere intersit, hoc loco βλέποντες ferri non potest; nam etiam, dum circumsistunt casam, circumspicere possunt, sed per totam regionem diffusi satellites de scena discedere coguntur, quia v. 26

1) Fleck. Ann. 1892 p. 587 sqq.

Lyci ne clamores quidem audiunt, quare κύκλωι μολόν]τες melius hoc effici posse crediderim.

v. 15 sqq. omnia etsi incerta, tamen e sententia emendari possunt. In v. 16 affirmativi futuri κτενῶ (Blass) loco notionem optandi induco, θέλω φονεῦ]σαι, quod in charta legitur]ΣΑΙ. Blassius autem iure atque merito necandi verbum restituit, quod e conexu versuum desiderari mihi videtur. φονεῦ]σαι quod supplevi suadente Bruhnio et coll. Or. 1130: Ἑλένην φονεύειν· μανθάνω τὸ σύμβολον, teneo.

In fr. C I Lyco duos versus 1 et 2 attribuendos esse statuit Blassius, quem secutus inesse eis censeo, quod verbis illis notissimis explicamus, quae Hercules Hyla rapto per aera dicta audivit:

ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς.

θανόντας inserui, quod iam in v. 3 fratres mortuos esse audierat Lycus et ita hoc loco θανόντας ironice συμμάχους ἀνωφελεῖς appellat. Ad μάτην λόγωι cf. Soph. El. 63. Mirum in modum Tacconius p. 253 scripsit transire narrationis flumen ab exordio fragmenti B I ad initium fr. C I 'senza nessun o quasi nessun intervallo'. Sed quid est 'quasi nessun intervallo'? Ne unus quidem versus intermissus est, ab ultimis καὶ τάχ' εἴσεται statim progredimur in]ντας ὡς μάτην λόγωι et cum verbis τάχ' εἴσεται sententia non finiatur, hos duos quoque insequentes fr. C I versus Lyco attribuere cogimur.

Hanc totam partem Arnimius stichomythiae in modum restituit colloquente Lyco cum pastore. Sed cum stichomythiae datis et acceptis responsis ratio par non sit, cum statuendam esse stichomythiam censeat, ne quid reliqui sit, unum versum (v. 5a) excidisse proponit. Nos autem cum nullo modo adducamur, ut textui vim inferamus et ita stichomythiam quacumque ratione restituamus, complures versus 5 et 6, 10—12 sententiarum conexu dato coniungere non dubitamus. Pastorem cum rege colloqui consentio cum Arnimio, nam is solus ἄνθρωπε (v. 2) appellari potest, ab eo solo v. 6 et 10 dici possunt, nam choro haec verba non

conveniunt, imprimis v. 6, cum Athenienses sint. Sed ξένους (v. 7) et ξένοι (v. 11) in eos referendos esse verisimile est. v. 3 τεθνηκότες nemo nisi gemini esse possunt, cum Lycus eorum mortem alludat. Quare sequitur, ut Antiopam filios suos invenisse aut quaesivisse saltem noverit. Antiopa eodem venerat, ubi liberos pastori tradiderat, qui non tum necati erant, sed quos 'iam dudum mortuos esse' dicit pastor. Erravit sane Apoll. Rhod. scholiasta, qui fratres dolo Lycum arcessisse tradit: μεταπεμψάμενοι δὲ τὸν Λύκον, ὡς ἐκδώσοντες τὴν Ἀντιόπην, σφάττειν ἔμελλον. Haec Euripides certe non finxerat, sed Lycum praeter omnium exspectationem advenientem fecit, ita ut novum et improvisum periculum fabulae inferret, quo difficultates augerentur animique spectatorum iterum sollicitarentur.

Fragm. Fl. P. P. C I 2—21 Arn. v. 19—39;

Chorus. ὅδ' ἀρκύων ἄιδ]ις, ἂν θεὸς θέληι,
πληγεὶς πεσεῖται] τήνδ' ἀνὰ στέγην τάχα.
— φονίοις μακα]ρίων σθένος βρόχοισι κατα-
δεῖ τὸν ἄδικον·] βροτῶν δ' αὖ τέχναις
τίς ἔφυγεν θε]όν; L. ἰώ μοί μοι.
Ch. ἔα ἔα.
κ]αὶ δ[ὴ πρὸς ἔργω]ι τῶν νεανίων χέρες.
L. ὦ] πρόσπ[ολοι μολό]ντες οὐκ ἀρήξετε;
Ch. ἀλαλάζετ[αι στέ]γα· βοᾷ δαρε . ς . . νο . . μέλος.
L. ὦ] γαῖα Κάδ[μου κ]αὶ πόλ[ισ]μ' Ἀσωπικόν.
Ch. κλύεις; ὅδ' αὖ π[αρα]καλεῖ πόλιν φοβερὸς
αἵματος· δίκ[α τοι δί]κα χρόνιος ἀλλ' ὅμως ἔπεσεν
ἔλαβεν, ὅταν ἴ[δ]ηι [τ]ιν' ἀσεβῆ βροτῶν.
L. οἴμοι θανοῦμαι πρὸς δυοῖν ἀσύμμαχος.
Amphio. τὴν δ' ἐν νεκροῖσιν οὐ στένεις δάμαρτα σήν;

19 ἦδ' οὐ βεβαία πίστ]ις Arn., ὅδ' ἀρκύων ἄιδρ]ις Sch. 20 θανὼν δὲ κείσει Arn., πληγεὶς πεσεῖται Sch. 21—23 Wil. suppl. 25 πρὸς ἔργω]ι Blass. πρόδηλοι Diels. 26 πρόσπ[ολοι Diels μολόν]τες Weil, δραμόν]τες Mah., Diels. 27 ἀλαλάζετ[αι μέ]γα Wil. olim; στέ]γα Wil. nuperrime, Arn. αρε . σ . . νο . . μελος Wil. 28 καδ[μου 29 οραιπα[pap. 30/31 ἔπεσεν et ἔλαβεν v. l., dein latior grassata interpolatio, fortasse e tertio correptum. Wil.

L. ἦ γὰρ τέθνηκεν; καινὸν αὖ λέγεις κακόν.
A. ὁλκοῖς γε ταυρείοισι διαφορουμένη.
L. πρὸς τοῦ; πρὸς ὑμῶν; τοῦτο γὰρ θέλω μαθεῖν.
A. ἐγμανθάνοις ἂν ὡς ὄλωλ' ἡμῶν ὕπο.
L. ἀλ]λ' ἦ τι[νων π]εφύκαθ', ὧν οὐκ οἶδ' ἐγώ;
A. τί τοῦτ' ἐρευν[ᾶ]ις; ἐν νεκροῖς πεύσει θανών.

35 ταυρειοισιν pap. 36 ἐγμανθάνοις pap. 39 ἐρευν[ᾶ]ις pap.

v. 19, 20 ἦδ' οὐ βεβαία πίστ]ις Arn. Haec verba, quae Arn. pastori dat, cum ad antecedentes versus referantur, aliter distinguerem, pausa intercedente post πίστις, ἦδ' οὐ βεβαία πίστις·, quibus tum magis opponitur nova sententia ἂν θεὸς θέλῃ, quam ad θανὼν δὲ κείσει referrem. Sed aliam chori cogitationem ex insequentium sententia flagitari mihi videtur, Lycum omnino ignorantem in laqueum incidere sicut Eur. Herc. 729. Quare ad hunc locum restituendum eo magis Herculis exemplo nitor, quod tota sententia simillima est et in charta quoque exstat βρόχοι. ἄιδρις, quamquam apud Euripidem non recurrit, e tragico usu fuisse docent Aesch. Ag. 1059, Suppl. 463, Soph. O.C. 548; ἴδρις saepius in Euripide legitur, cf. Med. 285 alia. Fortasse moriendi notionem hic evitari et chori verba ex ambiguo dici melius est. πληγεὶς πεσεῖται verbis effigies sane solida exprimitur, qua spectatorum animi ad impetum, quem postea fratres in regem faciunt, praeparantur.

v. 26 pro δραμό]ντες, quod Dielesio, Mahaffio, Arnimio placuit, propter currendi notionem malui μολό]ντες supplere, quod iam a Weilio propositum erat.

v. 29 ὁραιπα; chorus, cum Lycus e casa nondum egressus sit, nihil videt, audit tantum illius clamores. Quare videndi verbum non intellegimus. ὅδ' αὖ παρακαλεῖ Wilamitzii coniecturam sententias melius conecti ratus comprobo. Quomodo ὁρᾶι exstiterit, haud dubium est: ΟΡΑΙ-ΟΔΑΥ.

v. 31 ὅταν ἴ[δ]ῃι [τ]ινά, quibus vestigiis ἴδῃι coniectura Meinekii iam conclusum firmatur.

Ubi Lycus domum intravit, chorus duobus versibus iambicis Lycum intus fratres, quos mortuos credebat, visu-

rum esse vaticinatur et dochmiacorum numerorum versibus deorum vi nefarios homines vinciri nec quemquam hominum eorum voluntatem effugere posse exponit. Hic eadem ratione atque in Phoen. 291 Euripides usus est: versibus dochmiacis anteposuit duos iambicos, dochmiis antecedunt nonnullae syllabae, quarum mutationes haec sunt:

⏓⏓ ⏑ –
⏑ – –
⏑ – ⏑ – } ⏑ – – ⏑ –
⏑ ⏑ ⏑
⏑ ⏑ –
⏑ ⏑
–

versuum numeros sic dispono:

⏑⏑ – ⏑́⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑⏑ ⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –

et ita scribendum esse e comparatione insequentium chori versuum apparebit. Dum ea in scena geruntur, e casa rustica auditur clamor Lyci ἰώ μοί μοι, choro interiectiones ἔα ἔα attribuendae sunt. v. 11 quamvis valde corruptus sit, tamen de Lyci clamore dicta esse verba elucet. In v. 29 iambicum metrum reseco in initio κλύεις; ὅδ' αὖ, nam, si cum insequentibus coniungimus, numeri profliguntur; quo facto post iambicum metrum incipiunt dochmii inde a παρακαλεῖ

⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –
⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑ –
⏑ ⏑⏑ – ⏑ –

v. 30 ἔπεσεν, quod in charta exstat, non percipio: poena tardo pede ingreditur, sed tamen cadit, capit nefarios cum simul viderit. Recurrit iste versus apud Stobaeum Nauck fr. 223, ubi ὑποπεσοῦσ' ἔλαθεν legimus; hoc melius intellegitur: poena pedibus (ὑπο-) nefarii hominis clam [1]) se obiicit, ita ut amplius progredi nequeat, sed profligamur verbis ὅταν ἔχῃ. Quod si significaret, cum simul assecuta sit, intellegeremus,

1) Quod similiter dictum in fr. adesp. 493 ὁρᾷς Δίκην ἄναυδον οὐχ ὁρωμένην.

sed vertendum esse credo: cum simul manibus teneat; tum ad prioris enuntiati sententiam non quadrat. Quare variam lectionem exstitisse et verbum ἔπεσεν e textu tollendum esse censuimus. Charta post ὅταν vestigia vocis ἴδῃ praebet, qua de causa Stobaei ἔχῃ hoc loco stare nequit, sed coniectura Meinekii iam proposita firmatur [1]). Vocem τύχῃ (cf. Eur. fr. 979, 4) lacunae infuisse non crediderim, quod propter spatium minus placet. Χρόνιος poena appellatur, quod tardo pede ingressa nefarium corripit sicut fr. 979

βραδεῖ ποδὶ
στείχουσα μάρψει τοὺς κακούς, ὅταν τύχῃ [2])

vel fr. 835, 4 σχολὴν ἄγουσα et fr. adesp. 564 ὀπισθόπους Δίκη [3]) dicitur. Apud Stobaeum textus formam maxima e parte recte servatam esse eumque minore, quam consuerat, licentia grassatum esse hoc loco concedamus et ab opprobriis, quae viri docti ei intulerunt [4]), quantum ad Antiopam, defendamus. Sed cum chartae textum mutandum non esse censeamus, variam lectionem, quae iam antiquis temporibus exstiterat, statuere satis habemus.

Post chori versus novum Lyci cum fratribus colloquium orditur. Quod intra casam fieri vix credendum est, sed dum fratres Lycum limen domus vix ingressum aggrediuntur et gladiis premunt, dum chori versus fiunt, ille prorumpit ex aedibus et in scena corripitur. Nunc sicut in vasculo musei Berolinensis hic est aspectus: Lycum, qui genua solo imponit, manibus sublatis misericordiam victorum implorantem

1) cf. Eur. fr. 555, 2 et Δίκης ὀφθαλμὸς vel ὄμμα saepius recurrit Eur. fr. 506, 7; Dionysii fr. 5; adesp. 421 alia.

2) cf. Hor. carm. III, 2, 31

rara antecedentem scelestum
deseruit pede Poena claudo

et Solonis eleg. 2, 15, 16 (Hiller-Crusius).

3) cf. Wilam. de trag. fragm. p. 25.

4) Diels, Doxographi p. 60: Bernhardt, Quaest. Stob. p. 24—30, Mus. Rhen. XVII 465; Hense in Ritschelii A. L. II 1 sqq.

gemini gladiis strictis a dextra et sinistra parte circumsistunt. In Lyci verbis θανοῦμαι ἀσύμμαχος ex ipsius ore pronuntiatis, quis spectatorum non admoneatur eorum, quae modo audierat, cum eadem idem Lycus gloriatus de Antiopa diceret v. 18. Profitetur gloriabundus Amphio se etiam Dircam interemisse, Lyco omnino ignorante, qui sint, qui eum comprehensum tenent, nam v. 20 quaerit ex iis

πρὸς τοῦ; πρὸς ὑμῶν; τοῦτο γὰρ θέλω μαθεῖν·

Minime respondetur, sed simul cum verbis

τί τοῦτ' ἐρευν[ᾶ]ις; ἐν νεκροῖς πεύσει θανὼν

in eo est ut interficiatur.

In insequentibus permulta verba de textu facienda non sunt, nam cum chartae columnae melius sint servatae, textus forma nonnullis tantum locis difficultates praebet, nonnumquam autem vitiis laborat, quibus medicina parari posse nulla mihi videtur.

Fragm. Fl. P. P. C I + B II — C II 24; Arn. v. 40—76

Mercurius παῦσαι κελ]εύω [φόν]ιον ἐξορμ[ωμ]ένους
ὁρμήν, ἄνα]ξ Ἀμφῖον· [ἐ]ντολὰς δὲ σοὶ
Ἑρμῆς ὁ Μ]αίας τ[ῶιδε τ' ἐκπεπληγμ]ένωι
Λύκωι Δι]ὸς κήρυγ[μ' ἀφικόμη]ν φέρων.
καὶ πρ[ῶ]τα μὲν σφ[
ὡς Ζεὺς ἐμείχθη [κοὐκ ἀ]παρνήσηι τάδε·
τί δῆτ' ἂν ει[. . . . . .]αλλο[. . .]ετο
Ζηνὸς μολοῦσα λέ[κτρον . .] μ̣α̣σ̣α[ς
ἐπεὶ δ' ὁρίζει καὶ δ[. . . . . κ]ακά,
αὐτή τε δεινῆς [συμφορᾶς ἀπη]λλάγη
παῖδάς τε τούσδ' [ἐφηῦρε]ν ὄντας ἐκ Διός,
ὧν χρή σ' ἀκούειν [καὶ χθον]ὸς μοναρχίαν
ἑκόντα δοῦνα[ι τοῖσδε, Κ]αδμείας ἄναξ.

v. 44 πρ[ῶ]τα μὲν σφ[in fine nec Wil. neque ego quicquam certi videmus. 45 ως pap. α]παρνησηι pap. 46]αλλο[. . .]ετο non maius 3 litterarum spatium. 49, 50 Blass. 52 πρόσθε Κ]αδμείοις ἄναξ Weil coll. Phoen 17; τοῖσδε, Κ]αδμείας ἄναξ recte Blass.

ὅταν δὲ θάπτηις ἄλοχον εἰς πυρὰν τιθεὶς
σαρκῶν ἀθροίσας τῆς ταλαιπώρου φύσιν
ὀστᾶ πυρώσας Ἄρεος εἰς κρήνην βαλεῖν,
ὡς ἂν τὸ Δίρκης ὄνομ' ἐπώνυμον λάβηι
κρήνης [ἀπό]ρρους, ὃς δίεισιν ἄστεως
πεδία τ[ὰ Θή]βης ὕδασιν ἐξάρδων ἀεί.
ὑμεῖς δ', [ἐπε]ιδὰν ὅσιος ἦι Κάδμου πόλις,
χωρεῖτε, [παῖδε]ς, ἄστυ δ' Ἰσμηνὸν πάρα
ἑπτάσ[τομ]ον πύλαισιν ἐξαρτύετε.
σὺ μὲν φ[ύλασ]σ[ε] πνεῦμα πολέμιον λαβών·
Ζήθωι [τάδ' εἶ]πον· [. . . . .]ν δ' Ἀμφίονα
λύραν ἄ[νωγ]α δια χερῶν ὡπλισμένον
μέλπειν θεού[ς ὠι]δαῖσιν· ἕψονται δέ σοι
πέτραι τ' [ἐ]ρυμναὶ μουσικῆι κηλούμεναι
δένδρη τε μητρὸς ἐκλιπόνθ' ἑδώλια,
ὥστ' εὐμ[ά]ρειαν τεκτόνων θήσει χερί.
Ζεὺς τήνδε τιμήν, σὺν δ' ἐγὼ δίδωμί σοι,
οὗπερ τόδ' εὕρημ' ἔσχες, Ἀμφίων ἄναξ.
λευκὼ δὲ πώλω τὼ Διὸς κεκλημένοι
τιμὰς μεγίστας ἕξετ' ἐν Κάδμου πόλει.
καὶ λέκτρ' ὁ μὲν Θηβαῖα λ[ήψ]εται γάμων,
ὁ δ' ἐκ Φρυγῶν κάλλιστον ε[ὐ]νατήριον,
τὴν Ταντάλου παῖδ'· ἀλλ' ὅσον τάχιστα χρὴ
σπεύδειν θεοῦ πέμψαντος οἷα βούλεται.

55 ὀστεα pap. 60 [παῖδε]ς Wil. δε ισμηνου pap., Ἰσμηνόν Wil. 63 Ἀμφίονι pap., Ἀμφίονα Blass, Wil. 64 λυρανα[νωγ]α Wil. 67 ἐκλιπουσα pap. 68 εὐμ[ά]ρειαν vestigia satis certa Wecklini supplementum confirmant. 73 λέκτρα ὁ pap. 74 ε[ὐ]ναστηριον pap. 75 Ταναλλου pap.

Mercurii ipsius verba graviter corrupta sunt; ad sensum in initio ea Meklerus restituit, nihil melius me invenisse confiteor.

v. 40 σιγᾶν κελ]εύω Arn.: hoc loco Arnimius sensum non tetigit. Mercurii a pronuntiando fratres prohiberi minus intererat, quam a necando; conticescunt scilicet homines, cum intercedit deus, qui statim mandata pronuntiat neque

ullo fabularum loco deum silentium rogare ego quidem memini. Conferas velim Iph. T. 1537, Or. 1625.

v. 41 χαίροις Arn.: sane salutatio est eorum, qui accedunt et adveniunt (Alc. 508, Med. 663, Herc. 523, Hipp. 64); saepius autem ea voce utuntur, qui proficiscuntur aut discedunt (Phoen. 894, 1453, Bacch. 1379, Hel. 616, Iph. Aul. 1625, Ion 1604, Andr. 1274), sed hic reicienda est, nam nullo loco deus ex machina (in Hipp. 1437 'vale!'), cum alloquitur, ea salutatione utitur, sed aut mandata statim profert (Hel. 1642, Or. 1625, Suppl. 1183, Ion 1553, Hipp. 1282, 1296) aut quis sit, unde veniat, exponit (Herc. 1163, El. 1238, Andr. 1231).

v. 42 τε σφῶιν Arn.: erravit de re metrica, quod idem moneo de p. 54, 12 Ἄδραστον τὰς διαλλαγάς. Equidem restituo τῶιδε τ' ἐκπεπληγμ]ένωι. Arn. δυσθυμουμ]ένωι sensum aberrat, nam cum Lycus in summo vitae periculo versetur — respice picturam vasculi Berolinensis — verbo ἐκπλήσσεσθαι terrorem regis melius significari puto quam Arn. coniectura, cui tristitia potius et maeror inest, cf. Med. 91. Pronomen demonstrativum flagitari concedes coll. Suppl. 1188, Andr. 1239, El. 1240, 1243, Ione 1560.

v. 44 πατρὸς] Διός: Arnimius in adnotatione ipse concedit: „das folgende zeigt an, daß Hermes Aufträge nicht nur an Amphion, sondern auch an Lykos auszurichten hat“, quare desideratur nomen eius. A Mercurio hic nec deorum et hominum nec filiorum imprimis patrem Iovem appellari censeo, nam si hoc faceret, anticiparet ea, quae modo expositurus est. — Coll. Ione 1555, El. 1242 malim scribere ἀφικόμην φέρων. Sequitur locus a Blassio restitutus, quem Tacconius minime curavit ideoque vanas opiniones profert. Blassii in distribuendis versibus errorem, cum initium v. 44 cum fine coniungeret scribens

καὶ πρῶτα μὲν σφῶιν οὐκ ἀπαρνεῖται τάδε

Arnimius emendavit. καὶ πρ[ῶ]τα μὲν σφ[: his verbis ad

pronuntianda mandata Mercurium se vertere docemur coll. Andr. 1232.

v. 45 omnes fere qui haec fragmenta tractaverunt, legerunt οὐ Ζεὺς ἐμείχθη, sed in charta plane exstat ΩΙ vel ΩΣΖΕΥΣ et ΑΠΑΡΝΗΣΗΙ. ὡς fortasse pendet a voce λέγειν restituenda in priori enuntiato: 'primum Iovem cum Antiopa concubuisse mihi dicendum est vel dico, nec tu hoc negabis.'

v. 46 incertissime.

v. 49 Blass:

αὐτή τε δεινῆς [συμφορᾶς ἀπη]λλάγη
παῖδάς τε τούσδ' [ἐφηῦρε]ν ὄντας ἐκ Διός.

Valde miratus, quomodo hunc versum ad Dircam reginam referri velit Arnimius (in adnotatione), quaero. Versu 50, quis sit αὐτή, sine dubio comprobatur et liberis v. 50 opposita est mater v. 49. 'Nam cum Iuppiter finem faciat omnium laborum et malorum, illa a crudeli calamitate liberata est et liberos invenit satos Iove patre.'

v. 58 πεδία τ[ὰ Θή]βης.

v. 59 similiter Creusa Athenas redire iubetur in Ione v. 1572 sqq.

v. 61 πύλαισιν: ν legitur.

v. 62 φ[ύλασ]σε: φ literam legere posse mihi visus sum, quod, si rectum est, Arnimii coniecturam commendat, sed ττ tragico sermoni non convenit, nec scribam chartae Aegyptium ita scripsisse puto. πολεμίων pro πολέμιον scribae errorem esse crediderim.

v. 63 Ζήθωι [τάδ' εἴ]πον Arn.: probanda mihi videtur haec coniectura coll. El. 1277, Suppl. 1213, Hel. 1662.

v. 16 πέτραι τε [πρ]ύμναι Weil, Arn.: sed propter spatium non convenit; ego legi sicut Blassius πετραιτ[ε]ρυμναι. Multi viri docti hunc versum emendationibus sanare conati sunt, sed quaerendum est, num potius tenendus sit textus, cuius formam a Blassio iterum constitutam ego quoque legi

δενδρη τε μητρος ἐκλιπουσα ἑδωλια.

Agitur de lyra Amphionis: 'te sequentur saxa praerupta musica fascinata et arbores matris sedes relinquentes, qua re facilitatem eorum, qui muros aedificabunt, efficies manu tua'. μήτηρ hoc loco non ut πάντων γενέτειρα elementum illud Anaxagoreum est sed ἡ γῆ, ἐξ ἧς ἔβλαστον. (cf. Arn. p. 27 fr. 4 = Mel. fr. 484.)

ad v. 71 cf. Herc. 24 sqq.

v. 75 scriba priusquam ἀλλ' ὅσον scripsit, ultimum α elidere noluit vocis ἀλλά, tum autem correxit in ἀλλοσον.

Post prima dei ex machina verba, ubi Mekleri restitutionem secutus sum, de Iove in Antiopam amore agitur; cum ea concubuisse, sed, cum malorum finem faciat, bonum eventum Iovem dedisse Mercurius nunc publice edicit[1]). Sunt gemini Iovis filii, quibus regnum Thebarum concedere et cremato corpore uxoris cineres Lycus iacere iubetur in fontem Martis, qui inde Dircae nomine appellatur arva et campos Thebarum irrigans. Ad geminos v. 59: 'Propter Dircae necem urbs Thebarum sacris expianda est, tum urbis a Cadmo conditae muros et septem portas aedificate'. Quibus verbis et v. 28 accurate demonstratur fuisse Lycum Thebarum regem, Nycteum autem veterem fabulae formam secutus Hysiis fuisse Euripides narrat[2]). Postquam haec verba ad fratres sunt dicta, ad singulos se vertit Mercurius. 'Tu, Zethe, serva alacrem animum et bellandi cupidum. Amphio vero lyram manibus tenens deorum laudes cantabit, et dum cantat, sua sponte saxa et arbores relicta sede laborem eorum, qui muros exstruent, sublevabunt. Vos heroum loco ab omnibus Thebarum incolis deorum honores accipietis et ambo uxores praestantissimas in matri-

---

1) Pac. fr. 1 fortasse huc referendum.

2) Recte de Antiopae genealogia disseruisse mihi videtur Albrechtus de Blumenthal 'Hellanicea' p. 20, 21. cf. quae de Hysiis vir doctus et in topographia Graeca optime versatus F. Boelte in Pauly-Wiss. s. v. Hysiae (in fine) profert.

monium ducetis. Et Iovis mandatis quam celerrime obsequi nolite oblivisci.'

Fragm. Fl. P. P. C II v. 25—37; Arn. v. 77—89

Lycus. ὦ πόλλ' ἄελπτα Ζεῦ τιθεὶς καθ' ἡμέραν,
ἔδειξας [ἔργωι] τάσδ' ἀβουλίας ἐμάς
ἐς σφ[   ] δοκοῦντας οὐκ εἶναι Διός.
πάρεστε καὶ ζῆθ'· ηὗρε μηνυτὴς χρόνος
ψευδεῖς μὲν ἡμᾶς, σφῷν δὲ μητέρ' εὐτυχῆ.
ἴτε νῦν, κρατύνετ' ἀντ' ἐμοῦ τῆσδε χθονὸς
λαβόντε Κάδμου σκῆπτρα· τὴν γὰρ ἀξίαν
σφῷν προστίθησιν Ζεὺς ἐγώ τε σὺν Διί.
Ἑρμῆι [δὲ πεισθεὶς Ἄρ]εος εἰς κρήνην [β]αλῶ
γυναῖκα θάψας, τῆσ[δ' ὅπως]θανοῦσα γῆς
νασμοῖσι τέγγηι πεδία Θηβαίας χθονὸς
Δίρκη παρ' ἀνδρῶν ὑστέρων κεκλημένη.
λύω δὲ νείκη καὶ τὰ πρὶν πεπραγμένα —

v. 77 Ζεὺς pap. 78 ἔδειξας plane legitur, ἔργωι Diels. 80 correctum, quare difficillimum lectu; sane erat ζητηυρε 81 ψειδεις pap. ευτυχειν pap., εὐτυχῆ Weil, Wil.

v. 79 primae versus litterae valde obscuratae sunt. φρασας, cuius partem iam vidit Mahaffius, me legisse credo et δοκοῦντας (cf. Arn. adn. ad v. 79).

v. 82 ἴτε νῦν cf. Or. 1682.

v. 86 Arnimii in coniectura iteratio inest, cum duplici forma irrigandi notio intrudatur ὑγραίνουσα τέγγηι. Morte, quam passa erat, Dircam in fontem mutatam arva et campos irrigare — omittam posse legi in charta — elegantius et melius dicitur; ΘΑΝ legi posse videtur.

v. 88 fortasse legitur: διρκηπαραλλωνυστεραν. ἀνδρῶν ut puto non exstat, ὑστεραν vel e ὑστέρων vel e ὕστερον errore exstitit, quorum ὑστέρων coll. Suppl. 1225 praeferendum esse censeo. Lycus: 'Iuppiter, qui praeter spem et opinionem meos errores in lucem protulit, hos filios suos esse demonstravit.

Vos, fili, valete! Tempus, quod omnia ad lucem fert, dum me iniustum ostendit, matrem vestram felicem reddidit. Meo loco nunc regnate hos Cadmi fines, quos vobis mando et Iove et Mercurio iubentibus. Uxoris reliquias in fontem iaciam, ut inde arva, quae ab eo irrigantur, Dircae nomen apud posteros habeant. Ita facinorum pristinorum culpam solvo —.'

Mercurius verbis v. 76 peractis abit. Mirum in modum Tacconius p. 261 de insequentibus sic iudicat: 'vienne ora la risposta di Lico ad Hermes.' Sed Mercurium, postquam omnia, quae dicenda erant, edixit, de machina volavisse et Lycum cum geminis solis collocutum esse censeo. In antecedentibus quoque Tacc. fr. 220, quibus verbis Lyci errores excusari putat, Mercurio attribuere vult; sed ubinam est spatium, cui inseratur fragmentum illud, neque in Lyci oratione ultima id, quo excusaretur, infuisse censeo.

Omnibus fere, quae ad restituendam fabulam usui sunt, pertractatis ea fragmenta, quibus propter exiguitatem et sensus difficultates locus dari nequit aut de quibus coniectura tantum agendum est, prolaturus sum. Ea fragmenta, ubi codd. v. l. Εὐριπίδου ΑΝΤΙΟΠΗ vel ΑΝΤΙΓΟΝΗ exstat, valde dubia sunt. Omnino incertum, ubi collocandum sit, fr. 195

ἅπαντα τίκτει χθὼν πάλιν τε λαμβάνει,

sed disputationi ut Arnimius vult non attribuerim. Conveniret orationi, qua Amphio cantus sui argumenta aut indicaret aut repeteret. cf. fr. 839, 4

χωρεῖ δ' ὀπίσω
τὰ μὲν ἐκ γαίας φύντ' εἰς γαῖαν [1]).

1) Kaibel, Epigr. Graec. no. 438, et Janell, Ausgew. griech. Inschr. p. 136 u. 215 similem sententiam praebent.

fr. 209

οὐ σωφρονίζειν ἔμαθον, αἰδεῖσθαι δὲ χρή,
γύναι, τὸ λίαν καὶ φυλάσσεσθαι φθόνον.

Cum mulier quaedam alloquatur, quae, ne ultra procedat, admonetur, haec ad Dircam dicta esse crediderim, ubi puniendam Antiopam ad taurum vinciri iubet.

fr. 213 haec verba fortasse a Dirca dicta Antiopam spectant, quam ab irata et invidiosa regina talibus opprobriis obrui haud alienum esse confiteor.

fr. 212, 214, 215 [1]), iam Wecklinus et Arnimius ex Antiopae fabula abicienda esse statuerunt, neque habeo, cur eis obsistam.

Si nunc totius fabulae cursum et dispositionem contueamur, haec admodum certa restitui potuerunt: ex initio prologus, parodus cum Amphionis aenigmate et hymno, fratrum disputatio. Coniectura conclusimus colloquium Antiopae cum Amphione et choro habitum; tum 1) Δίρκη, χορὸς Διονυσιακός, 2) ἄγγελος; post nuntii narrationem exodus certa, ubi inter fratres deliberantes, quid faciendum sit, et matrem colloquium fit, deinde Lyci adventus, colloquium cum pastore, impetus et imminens mortis periculum, Mercurii dei ex machina interventio.

Distributionem personarum hanc indicamus,

τὰ τοῦ δράματος πρόσωπα

ποιμήν	Δίρκη
χορός	χορὸς Βακχῶν
Ἀμφίων	ἄγγελος
Ζῆθος	Λύκος
Ἀντιόπη	Ἑρμῆς

1) πᾶσι δ' ἀγγέλλω βροτοῖς
ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν εὐγενῆ σπείρειν τέκνα.

Wecklinum secutus erravit Nauckius, qui ἀνδρῶν in ἀλόχων mutavit;

quas, cum tantam mediae partis iacturam doleamus, partim tantum in trium histrionum numerum disponere possumus. Quorum πρωταγωνιστής fuit Amphio, cum longissimum temporis spatium in scena esset et non solum recitaret, sed etiam caneret; δευτεραγωνιστής fortasse duas mulierum Antiopae et Dircae personas praebebat, sed et haec et quomodo ceterae personae distributae sint, incertum est. Quartum ut nonnulli voluerunt histrionem adesse non oportere supra iam demonstrasse mihi videor, ubi post fratrum disputationem Zethum in mutam personam redire exposui. Si quis eum in numerum histrionum recipere voluerit, tum παραχορήγημα eum fuisse malim, quam ut Euripidem quattuor in Antiopa histrionibus usum esse censeam.

Quoniam ad finem eius partis pervenimus, ubi de fabula restituenda est dissertatio, denique restat, ut quo tempore docta sit Antiopa concludamus. Qua in re Wilamowitzii quas adspersit dissertationi propositae notulas recepi, ut longe lateque diffunderentur.

1. Scholium ad Ranas 53 (Wilam. Anal. Eur. p. 148) nimis antiquam esse dicit Andromedam anni 412, adferendas potius esse Ὑψιπύλην, Φοινίσσας, Ἀντιόπην; non convenerit tragoedia 411 docta. Reliquas e tabulis, quas ante oculos habuit, sumpsit scholiasta, nempe ex ordine, ergo: Ὑψιπύλη 410, Φοίνισσαι 409, Ἀντιόπη 408.

2. Eiusdem speciei sunt tres fabulae: Μελανίππη δεσμ., Ὑψιπύλη, Ἀντιόπη; gemini enim saluti sunt matri. In una Antiopa distinguuntur gemini pro ingenio, quare ultima harum.

nam esset πολύγαμος, qui e nobilibus coniugibus (ἄλοχος — coniux) liberos procrearet; γυναικῶν rectius staret. Sed totum sensum correptum esse suspicor nec quicquam certi est, quo hoc fragmentum ad Euripidis Antigonam referri possit.

3. in Antiopa Euripides vindex est vitae contemplativae i. e. suae et suam causam agit Athenis discedens.

His igitur argumentis eam cum Oresta doctam esse verisimile est.

II. Antiopae artis monumenta.

Approbatio et effectus Euripidis fabulae ut in librorum testimoniis, ita in artis monumentis resonabat et refulgebat. Quare quo integrius dramatis summam amplectamur, ut librorum supplementum artis monumenta fabulae restitutioni adnecto. E quibus ea tantum afferam, quae nuntii narrationem et insequentem exodum spectant; nam disputationis unum monumentum (Schreiber, Hellenist. Reliefs Tfl. 5; Braun, Zwölf Basreliefs Tfl. 3; Welcker, Ant. Denkm. II p. 318) ea de causa omittere mihi licet, quod, cum Jahnius (Arch. Zeit. 1853 p. 82/83) recte interpretatus sit, novi nihil dicendum est. Erravit autem de comparata parietum pictura (Mus. Borb. XI tab. XXIII), quam melius ut videtur Finatius tractavit, cum Apollinem coram Laomedonte canentem conspici diceret[1]). Nam galerus phrygicus barbaro homini et Asiae incolae imprimis attribuendus est et in Jahnii interpretatione, cur alter fratrum lauro cinctus conspiciatur, frustra quaerimus; at Apollinem lauro cingi decet.

1. Vasculum musei Berolinensis.

De vasculo musei Berolinensis in vico Palazzuolo reperto iam egerunt Carolus Dilthey (Arch. Zeit. 1878 p. 50) et Adolphus Furtwaengler (Brl. Vasenkatalog no. 3296; cf. quoque Vogel, Scen. eurip. Trag. in griech. Vas. p. 60). De quo, quod nos propter calicis formam 'Kelchkrater' appellamus, quaestionem redintegrandam esse eo magis apparet disserenti, quod et corrigenda et addenda satis multa videntur.

Intermisso post Euripidis mortem triginta fere annorum spatio circa 375—350 in officina quadam figulina Italiae

1) Cf. Il. 21, 443; in pictura grex Laomedontis ab Apolline custodita in unum animal contracta est.

meridionalis fortasse Campaniae insigne exercitati et sollertis artificis opus ortum esse ex accurata delineatione, ex orna-



Fig. 2.

mentorum decore, e colorum et imprimis vernicis scite inductorum splendore satis elucet. In pictura iam invenerant

viri docti illi vestigia candicantis coloris, quo funes, quibus Dirca ad taurum alligata est, armillae Dircae, caduceus Mercurii, fornix, de quo infra agetur, gladii unius capulus teguntur. Cum vasculum accurate perquirerem, mihi obtigit, ut Lycum regem sinistra manu sceptrum longum eiusdem candicantis coloris tenentem invenirem, quod infra in tab. I. si non bene, at certe conspicitur. Orditur haec linea ex ipso angulo femorum alterius fratris prope genitalia, pergit per manum sinistram et genu Lyci, exit in capitulum vel nodum oblongum prope marginem inferiorem picturae. cf. fig. 2. Quomodo funes ad tauri caput alligati sint, eadem iterata inquisitione apparuit.

Cum novis fragmentis Antiopae tractatis, quae exodus fabulae fuerit, constet, aliter ac Diltheius fecit, vasculi picturam interpretandam esse censeo. Picturae compositionem in duas partes divisam esse iam ex eo apparet, quod altera actio fornicis angustiis et personarum coniunctione in unum et compressum contrahitur et iam extrinsecus a ceteris secernitur fornice illa. Extra eius lineam ea videntur, quae extra aguntur vel acta sunt, Dirca a tauro tracta et Mercurius, qui deus ex machina advenit. Quae fornix, quin antrum sit, non dubitandum est comparatis aliorum antrorum exemplis [1]), quae in vasculis recurrunt, ubi ramis parvis virgultorum in modum enascentibus [2]) probantur. Diltheius p. 50: 'Dieselbe gliedert sich in zwei Gruppen, deren Zusammengehörigkeit und Wechselbeziehung aber angemessen ausgedrückt ist' et p. 57: 'Das rechtshin wallende Gewand der Dirke und der nach entgegengesetzter Richtung flatternde Mantel begegnen sich in der Zeichnung; aber wir

1) Tischbein, Coll. of engravings from anc. vas. I tab. 32 = Rein. Répertoire des vases II 287; Mon. d. Inst. XII, 4 = Rein. Rép. I 229; hic area quoque interna antri lapidibus et ramis referta est. Inprimis autem conferas velim propter similitudinem vasculum Caeri repertum Mem. II, 15 = Rein. Rép. I 354, ubi Apollinis boves antro absconditas ipsumque a fratre Mercurio in incunabulis reposito deceptum videmus.

2) In superiore dextra parte antri alia virgulta dipingere in animo habebat artifex, ramosque omissis foliis praeformaverat, sed vernice postea obtexit ita, ut vestigia tantum appareant.

sollen uns wohl denken, daß der Stier mit seiner Last bereits ein Stück zurückgelegt hat und der ihm folgende Blick des Jünglings weiter hinaus in die Ferne geht .... die Rechte erhebend, wie von Entsetzen ergriffen, blickt auch er (Lycus) der vom Stier davongeschleiften Dirke nach', mira quadam interpretandi ratione has duas partes coniunxit, pictorem duas temporis spatio seiunctas actiones finxisse minime curans, quae nullo modo ita coniungi possunt. Iam Furtwaenglerus ea correxit partim, cum dixit: 'der ältere blickt nach rechts, wie durch den von links oben kommenden Ruf des Hermes gehemmt'. Etiam Lyci oculos in deum auxilium ferentem converti addendum est. Quibus cognitis Diltheii argumentatio minime probanda est. Cur autem pictor sinistram partem addiderit, qua ratione ea cum dextra cohaereat, in insequentibus demonstrabitur.

In dextra parte clausam et compressam ut ita dicam turbam et actionem videmus. Inquieti corporum motus, qui singulorum membrorum lineis persecantur, non in una planitie positi sunt, sed in recessu omnia spectantur, singula postposita sunt singulis totumque in recessu spatium Lyci sceptro demonstratur. Idem de corpore resupino Lyci monendum, quod, sicut tota figurarum turba antro, a fratribus ab utroque latere insistentibus marginis instar includitur. Abhorruit pictor ab areis vacuis, quas omni ratione implere studuit, ut in superiore tantum antri parte aream vacuam videamus. Qua de causa pes dexter Antiopae sub femore sinistro alterius fratris conspicitur et cum Antiopa ipsa dextrum antri spatium expleat, quasi murus hominum membris et vestimentis exstructus omnino claudit introitum antri. Nam etiam chlamydes rapido motu agitatae eadem ratione in areïs vacuis distributae sunt[1]).

1) Mirum in modum in Andromedae fabulae monumento, quod in vasculo quodam Apulo exstat, Engelmannus (Arch. Stud. z. d. Trag. p. 6 fig. 1) erravit, cum Perseum cursu vel volatu advenisse et festinatione duo vascula in solo posita pedibus pervertisse diceret. At fluitantis chlamydis forma deceptus Engelmannus primum: recurrere in vasculis Apulis et Italiae meridionalis saepissime (Compte-rendu Atlas

At pellem pantherinam, quae de fastigio antri suspensa est, non solum ut aream vacuam vitaret, artifex finxerat, sed non ut digito sed subtili quodam documento Liberi festum eodem loco antea celebratum esse ostenderet, ubi nunc gravissimum mortis periculum imminet. Quae res maiore pondere afficitur, cum aversam vasculi partem conspiciamus, ubi maenas a satyris circumdata et petita thyrsum gestans rapido cursu agitur neque inconsulte hanc scenam Bacchicam opposuit pictor ei, quae erat in fronte. (Similia in vasculis saepius recurrunt, cf. aversam partem vasculi, quod nos 'Neapler Satyrspielvase' appellare consuevimus, v. Salis Arch. Jahrb. XXV 1910 tab. 4 Beiblatt.) Permultis autem locis aversam partem omnino alienam esse a fronte moneo.

Extra antri fornicem Mercurii dei ex machina figura a vertice usque ad ventrem conspicitur, qui sublato caduceo de superiore loco, quod in theatro Graeci θεολογεῖον appellabant, quae in fragmentis chartae exstant mandata Iovis filiis et Lyco nuntiat. Cum Furtwaenglero, cum dicat: ... 'er (Hermes) blickt teilnehmend (zwei Stirnfalten) mit geneigtem Kopfe herab und scheint dem Mord des Lykos Einhalt zu gebieten', non facio, nam non rugis in fronte

1863 tab. 6 = Rein. Rép. I 19; Mon. d. Inst. II tab. 31 summi zophori figura in fine sinistra: Iuno = Rein. Rép. I 99; Mon. IX 50, 51 imi zophori Persae genua solo imponentes = Rein. Rép. I 194; Arch. Zeit. 1884 tab. 19, Pirithous in tartaro sedens = Rein. Rép. I 455) tales vestimentorum motus — eos iam quinto a. Chr. n. saeculo ex Ionicae artis exemplis sumptos in Atticis monumentis imprimis in sepulcrorum stelis et cippis, in titulorum capitibus, in ectypis votivis imprimis Aesculapio dedicatis inveniri mox alio loco me demonstraturum esse spero — tum: Perseum non pervertisse pedibus vascula illa, sed ponere pedem in illis, minime curavit. Vascula festinatione re vera pervertuntur Mon. VI—VII tab. 71 = Rein. Rép. I 161 et Huddilston p. 173 fig. 23, quae ex eadem officina esse suspicor. Sed hoc loco standi ratio est, quae in colloquio plerumque ut commoda et negligens adamata erat. Sescenta sunt exempla, ubi hac ratione saxo vel solo edito, rariora, ubi vasculo pes imponitur, cf. Mon. VI—VII tab. 70 = Rein. Rép. I 161; Bull. Nap. nov. ser. V 13 = Rein. Rép. I 492; Laborde, Coll. de vas. grecs de Lamb. I 5 et 10 = Rein. Rép. II 175, 177; Gerhard, Etrusk. Spiegel tab. 123.

contractis misericordia impertitur, sed capitis et membrorum agitandorum ratione. Rugae illae iam Atticae inde a fine quinti saeculi, imprimis autem Apuliae quarti saeculi et Italiae meridionalis in arte vascularia saepissime recurrunt, ut animi perturbatio significetur[1]). Quare, cum etiam ceterorum virorum frontes contractae sint in vasculo Berolinensi, Mercurii misericordiam, ex interpretatione tollendam esse censeo. Contra quomodo misericordia et cordis motus, metus, admiratio describantur, e gestu et habitu membrorum plane apparet. cf. Mercurium Engelm. p. 10 fig. 3, Iolaum ibid. p. 12 fig. 5, Diomedem apud Aiacis necem Longpérier Mus. Napol. 66, Dianam Huddilston p. 99 fig. 10, satyrum ibid. p. 156, 19, paedagogum ibid. p. 200, 25, puellam Arch. Zeit. 1857, 106, Marsyam ibid. 1869, 17, Nubem Bull. Nap. nov. ser. VII 3.

De figuris, quae de superiore loco conspiciunt, quid agatur, nuperrime egit Paulus Kurth Neapolis I p. 48 sqq. 'Die sog. busti in der Vasenmalerei', cuius opinionem maxima e parte non probo, nec (e. g.) quemquam inveniri puto, qui in restitutione proposita vasculi Assteae pictoris insaniam Herculis fingentis (Mon. d. Inst. VIII 10; Wien. Vorlegebl. B I; Arch. Jahrb. XV 1900 p. 60; XVI 1901 p. 27; XX 1905 p. 137) eum sequatur (p. 63). Aliter atque in opusculo proposito procedendum est iis, qui harum imaginum rationem et historiam tractare instituent[2]). Quoniam ea, quae in antro vel in eius introitu geruntur, figurarum oculis

1) In Attica arte rugosas frontes habent senes Furtw.-Reichh. 14, 23, 34, 35, 93, 98; Satyri 29; Centauri 15, 86, iam nigris figuris 41; peregrini imprimis Aegypti 51, 73, 77; Boreas 94; aliae personae 20, 127; Italiae meridionalis 10 Pluto, Hercules; 38, 39 Pollux, 59 Pan (qui simili modo ac Mercurius de superiore loco despicit); 120 Orestes.

2) In aliis quoque erravit e. g. de vasculi pictura Mon. d. Inst. Suppl. I 22: 'Ist also eine Ueberschneidung durch eine Terrainwelle gemeint? Unmöglich! Zwischen dem Altar und dem Tempel kann kein Hügel liegen; so gewaltsam läßt sich die Situation nicht konstruiren'. Nihil contradicendum est, nisi ut inspiciat auctor vasculum in oppido Ruvo repertum Mon. II 53 = Rein. Rép. I 105, Huddilst. p. 150; cf. quoque Arch. Zeit. 1865 tab. 203.

et Mercurii capitis et manus gestu arto conexu coniungi vidimus, in sinistra parte picturae solutam ab altera scenam esse statuimus, ubi ea, quibus poeta, ut artis eximium exemplum praeberet, adductus erat, quibus in scena propter agendi difficultates locus datus non erat, a pictore ut poetae aemulo compositione, lineis, coloribus describuntur, nuntii dico narrationem. Quarum narrationum splendore et gravitate pictores saepius commoti erant, ut eas solas vasculis adpingerent sicut Hippolyti interitum (Arch. Zeit. 1883, 6; Hudd. p. 127 fig. 15; Rein. Rép. I 446; Furtw.-Reichh. Text II p. 151) et Medeae in aemulam flagitium et liberorum necem (Arch. Zeit. 1847, 3, Hudd. p. 173 fig. 23, Rein. Rép. I 363).

Iam cum vasculi picturam cum Euripidis fabula comparemus, pendere ab illa pictorem unoquoque gradu statuendum est. Dum summi ponderis Mercurii in superiore parte conspectus est, pelle pantherina antecedentis Bacchici festi memoria revocatur et virgultis in sinistra parte infra Dircam a tauro tractam imprimis autem ramo, qui crinibus reginae implicatur, nuntii versus fr. 222

⟨ταῦρος⟩ εἷλχ' ὁμοῦ λαβὼν
γυναῖκα πέτραν δρῦν μεταλλάσσων ἀεί,

illustrantur. Sed cum artificis licentia grassetur pictor, tres ut puto fabulae scenas postpositas in vasculo iuxtapositas et partim decurtatas[1]) praebet. Nam cum fratrum et matris colloquium, cuius rudimentum Antiopae fugientis figuram esse credo, et Lyci adventum contraheret, id, quod summi momenti erat, fratrum in regem impetum depinxit et filiorum matrem, cum omittere nollet, muliebri metu perculsam et fugientem caedi Lyci addidit, quacum alterius quoque fratris oculis eam coniunxit.

Ex altera parte e vasculi pictura, cum ab Euripidis fabula pendeat, exstitisse in scena theatri antrum in recessu pictum sicut in Philoctetis fabula (Wilam. Neue

1) In cistis feralibus Etruscorum et sarcophagis aetatis Romanorum imperatorum tales contractiones persaepe recurrunt.

Jahrb. XXIX p. 9 adn. 1) concludere fortasse licet (Dilthey p. 52), nam mire omnia fere huius fabulae alterius fontis monumenta antrum exhibent, quod a Paus. quoque I, 38, 9 commemoratur. Equidem cum Wilamowitzio censeo: quod re vera apud Oenoam antrum situm erat, poeta id in scenam recepit; pastorem in vastis Cithaeronis montis solitudinibus antrum amplificata pristina forma a natura ipsa data habitare ex Euripidis ipsius verbis περίβολον πέτρας et ex monumentis, quae antri speciem pictam praebent, satis apparet. In agnitione autem antro usum esse poetam non credo; incertissima est quaestio, cui responsum umquam dari posse despero.

Vasculo Berolinensi statim adiungo duas parietum picturas Pompeis repertas. Nam figurarum dispositio secundum eadem principia facta est, cum bipertita actio ut in vasculo conspiciatur. Accedit, quod nullo modo ad ingens illud opus Apollonii et Taurisci referri possunt, qua de causa ut alius fontis apographa iam hic de eis disserere constitui.

In picturae domus VII 15, 2 tertii stili (Arch. Zeit. 1878 tab. 9b; Sogliano Pitt. mur. no. 503) antica i. e. ima parte clivosa regio saxis, virgultis, herbis, caespite obruta, ubi caprae pascuntur aut quieti se dant, in sinistra parte seclusa quaedam aquula est. In centro ara satis magna posita est, cui Bacchici cultus instrumenta accubant. In recessu autem mutatis lateribus ad dextram taurum Dircam trahentem videmus directo per antrum, ut plane apparet, rapido cursu. Nec Soglianus nec Diltheius, qui p. 52 adn. 41 antrum in altera picturae parte requirit, inferiorem fornicis cuiusdam partem ad dextrum picturae latus perspexerunt, quae propter inclinationem et folia, quae ibi enascuntur, sine dubio antri una paries est. Interposita ara ab hac parte divisa est altera scena, ubi Lycum longo, ut in theatro vestiri consuerant reges, vestimento tectus a fratribus obrui Diltheius (contra Soglianum) p. 53 recte vidit.

Alterius picturae exemplar (Helbig no. 1153; Arch. Zeit.

1878 tab. 9a; Jahn Arch. Zeit. 1853 p. 98, 99)[1]) etsi propter antrum, quod in arcus saxis exstructi modum fictum est, propter cursum tauri Dircam nudam secundum eandem directionem trahentis, propter aquam in antica area ex eodem fere fonte natum est atque illa (tab. 9b), tamen pictor in figuris collocandis studiosissime omnia evitare conatus est, quae memoriam exempli, unde sumptum erat, revocare possent, sed disiectae per topia tot figurae dispositae sunt, ut nominare eas et longum et otiosum esset. Ultimi huius fontis rivuli in gemmarum scalptorum arte requirendi sunt.

2. Monumentum tauri qui dicitur Farnesinus.

Iam ad monumentorum gravissimum et maxime insigne exemplar accedamus, ad figurarum illarum compositionem, qua nuntii Euripidei momentum, ubi paratur Dircae supplicium, illustratur. Tauri, qui dicitur Farnesinus (in insequentibus per notas T. F. scribam) compositio iam a multis viris doctis saepe pertractata est; haec omnia iterare longum neque huic dissertationi conveniens esset. Quare ultimo tantum conamini Francisci Studniczka (Zeitschr. f. bild. Kunst N. F. XIV p. 171 sqq.) obsistere satis habebo, qui nova quadam ratione et praesumpta ut videtur opinione 'vulnerarii medici scalpello' usus a) Cithaeronis[2]) montis personificationem, b) totius baseos plastica ornamenta, c) Antiopae imprimis figuram e medio sustulit, quibus remotis pristinam Apollonii et Taurisci opus restituisse sibi visus est. Non principale, sed ut exornaret Caracallae Thermas imitantis artificis opus nobis servatum esse iam Michaelis (Springers Handb. d. Kunstgesch. I 6.Aufl. 286, cf. Studn. adn. 8) ostendit.

1) Ubi condita sit pictura, incertum. In receptaculis musei Neapolitani eam non se vidisse Herrmannus mihi scripsit.

2) Quin eius montis numen sit, non iam dubitandum est et conferendus Philostrati imag. 1, 14 locus de Semelae morte et Liberi natu, ubi adest Cithaeron, 'ὀλοφύρεται ἐν εἴδει ἀνθρώπου τὰ μικρὸν ὕστερον ἐν αὐτῷ ἄχη, καὶ κιττοῦ φέρει στέφανον, sicut in basi T. Fi.

a) Quantum ad Cithaeronis montis figuram, vir ille doctus (Studn. p. 175) 'Unser winziges Kerlchen aber kann wieder erst der römische Bildhauer aus dem dadurch so maßlos dünn gewordenen Felsen herausgeholt haben . . .' omisit parietum picturam Romae in conditorio fundi, qui Villa Pamfili nominatur, repertam. Postquam Jahnius (Abh. Münch. Ak. VIII p. 240; Arch. Zeit. 1853 p. 99/100), cum tabulas indiligenter depictas in manibus habuisset, de pictura ipsa eiusque tempore erravit, Samterus, cum denuo describeret (Röm. Mitt. VIII 1893 p. 113), ampliorem eam esse ostendit. Qua descriptione confisus, cum imago instituti Romani luce expressa non iam sufficiat, cf. tab. II, iuvenem ad dextram partem sedentem tunica indutum nudatis cruribus et erecta dextra Cithaeronis montis in T. Fo locum in pictura obtinere confirmo. Sed cum conditorium illud Huelseno (Röm. Mitt. VIII 1893 p. 165) in dissertatione, quam Samteri adnexuit, ex inscriptionibus testante Augusteae prioris aetatis sit, hunc Cithaeronis figuram in monumento illo T. Fi principali ab Asinio Pollione Romam advecto exstitisse neque a sculptore vel potius ab artificibus effingentibus vel imitantibus Romanorum imperatorum aetatis additum esse pro certo stat. Quare hunc 'puerulum' resecandum esse praefracte nego. Nam arto temporis spatio intercedente parietum quidam pictor T. Fi compositionem ita in latitudinem distraxit, ut turbatis nonnumquam figurarum proportionibus sicut apud Cithaeronem zophori rationem praeberet, cuius lineamenta etsi immutata, tamen ab illa compositione pendent; immo vero eius apographa [1]) sunt. Contra facillime in eam reduci possunt conversis fratrum figuris circum Dircae corpus axin praebentis [2]).

---

1) Confer Samteri descriptionem: Il vestito di Dirce . . . copre solo la parte inferiore del corpo . . . . il secondo giovane è, a quanto sembra veduto non dal davanti ma dalle spalle.

2) Eiusdem picturae figuras modo a dextra, modo a sinistra parte ab artifice depingi comparatis permultis Pompeianis parietibus Rodenwaldtius mecum communicavit; in Dircae quoque exemplis idem pictorum usus eademque exercitatio invenietur.

Cithaeronis sedendi rationem in Trallianorum artificum opere conspici non miramur, nam postquam Lysippus arti plasticae novas vias ostendit, eiusmodi figurarum forma, sedendi ratio, cum ceteris figuris coniunctio hellenisticae aetatis propria fuit. Earum figurarum typus ubique recurrit, eiusque species variationesque, collocatio quoque figurarum respondet et ratio, qua in loco positae sunt. Respicias quaeso imprimis exemplum in Rhodo ipsa insula (Olympia III tab. 57, Text p. 222 fig. 248) repertum et alterum Olympiae. (alia: caelato opere Paris bibl. nat., Bulle schön. Mensch p. 367, quocum comparandi sunt numi, Brit. Mus. Catal. of greek coins, Peloponnesus tab. XVII 10—12, 14—17, 20; Arndt-Am. Einz.-Verk. 1248 = Schöne, Griech. Rel. 27 no. 110 u. 111; Nécrop. de Myrine tab. 25; Coll. Tyszkiewicz tab. 22; Schreiber, Hell. Rel. 13, 63, 10, 25). Describuntur sic aut loci numina, di montani et fontium nymphae [1]) aut locus ipse his figuris [2]) aut quibus hominibus et dis praesentibus aliquid agatur [3]), illustratur. De his figuris Rodenwaldtius, die Komposition d. pomp. Wandgemälde p. 192, egit, quocum non consentio: 'Ihre Bildung schließt sich natürlich an griechische Vorlagen an, ihre Verwendung dagegen ist durchaus römisch.' Iam Graecorum in pictura eas fuisse puto collata permultorum vasculorum serie, ubi de loco superiore despicientes imprimis in imo et summo zophoro saepissime di, nymphae, satyri videntur. Etiamsi vasculorum exemplis imminuta, immutata, modesta imago picturae datur ('bleiche Mondstrahlen gegenüber dem hellen Sonnenlichte

---

1) Nymphae apud Endymionem: Rob. Sarkoph. III no. 39, 40, 47, 48, 61, 64, 66; Crommyo: Gerh. A. V. 234; Latmus mons: Rob. Sark. III no. 61, 62, 64; figurae in occidentalis fastigii versuris templi Iovis Olympiae aedificati.

2) Aethiops in Berol. Andromedae vasculo Arch. Zeit. 1853 2 = Engelm. p. 69 fig. 20; Mus. Borb. XIV 28 Θήβη; Κρηναίη.

3) Apollo Hudd. p. 99; Minerva Ann. 1874 DE; Neptunus Arch. Zeit. 1846, 44 = Furtw.-Reichh. 38, 39; Venus Arch. Zeit. 1867, 220 = Engelm. p. 81 fig. 26.

der großen Malerei' Michaelis, Die archaeol. Entd. d. 19. Jahrh. p. 93), tamen eorum artifices ex eodem fonte hausisse eodemque exemplo usos esse constat.

b) Baseos quoque ornamenta removere nolo, sed omnino cum Emanuelo Löwy facio, qui ea hellenisticae ingenii rationis et voluntatis propria esse melius quam ipse possum demonstravit Griech. Plastik Text p. 129. Comparanda sunt cum ectypis illis hellenisticis a Schreibero collectis [1]), quorum maior pars a viris doctis primo post Chr. n. saeculo attribuitur, quae equidem deprompta ex hellenisticis exemplis esse crediderim neque, quin optima iam altero a. Chr. n. saeculo exstiterint, dubito. (Schreiber tab. 1, 2, 24, 29, 51, 65; Löwy, Griech. Plast. tab. 160, 161.) Hac quoque via in T. Fi operis tempus adducimur, quare ea ornamenta suo loco tenenda esse censeo. In altero quodam hellenisticae artis monumento idem recurrit, in Nili statua, cuius basis eadem ratione ab animalibus frequentatur. Tiberis autem statua Romanum apographum est (Fr.-W. no. 1543 in fine). Studniczkae argumento recurrere ea ornamenta in sarcophagis Antoninorum aetatis nihil proficitur, illos sculptores ea deprompsisse et in sarcophagis ornandis adhibuisse apparet.

Ea ornamenta nonnumquam summo artificio posita politissimaque arte excogitata esse concedes, cum inspicias Studn. fig. 13, ubi eleganti encarporum curvamine angulus inter Dircae crura ingeniose clauditur. Quibus encarpis et thyrso in cuspide infracto ut in vasculo Berolinensi pelle illa pantherina antecessisse scenam Bacchicam monemur [2]). Nec praetermittamus architectonico ut ita dicam consilio truncum arboris sub pede sinistro alterius fratris positum, ut contra nitatur et pedis lineam imprimisque pressum excipiat (Studn. fig. 2 et 13). Eam baseos partem, quam apud Studn. fig. 4 videmus, sculptori cuidam restituenti medii aevi attribuendam esse puto, nam ectypi

1) Schreiber tab. 20, 21, 78, 54.

2) Servatus quoque unus pes pellis a Graecis νέβρις nominatae, qua Dirca ad bacchationem induta erat.

opere et sculptoris stilo distat a reliquis [1]). Aspera et clivosa saxa plana et aequa facta, pascentia animalia, quorum panthera imprimis in suis modum saginata est, levia et pinguia reddita sunt. In aversae partis ectypo fractura baseos satis apparet, cuius restitutio sculpendi comparatione eidem artifici attribuenda est [2]).

c) Priusquam ad T. Fi compositionem et structuram et ad Studniczkae restitutionem accedimus, quaerere mihi liceat, sitne Antiopa, cum in compositione illa sit tradita, interno quodam conexu cum ceteris figuris coniuncta, an adeo aliena ab eis sit, ut removere eam iubeamur. Studniczka p. 173 omissa etiam Antiopa omnes, qui vidissent, quid in compositione illa fictum esset, statim satisque intellexisse contendit sicut in Laocoonte et in Niobidis et pergit: 'Und der Künstler, der sie trotzdem nicht entbehren mochte, hatte die Pflicht, Antiope mit in den Verband der Handlung einzufügen', quod artificem fecisse aliter ac Studniczka vult, infra demonstrabitur. 'In einem der Reliefs am Tempel der pergamenischen Königin Apollonis in Kyzikos flehte die von den Söhnen bereits an den Stier gefesselte Dirke zu ihr um Gnade' et idem p. 176 . . . 'wo freilich die Gegenwart der Mütter noch bestimmter an die sittliche Begründung des Strafgerichts erinnerte'. Collato epigrammate A. P. III 7, neque in textu neque in commentario adscripto matrem Antiopam in ectypo illo exstitisse probatur. E silentio tamen concluditur, quod his omnibus ectypis amor liberorum erga matrem illustrabatur [3]), quare

1) Effingentis sculptoris manus ex herba, quam cerva edit, satis elucet, nam hoc uno loco exstat.

2) Plura de basi verba facere in animo habui; cum ea a dissertatione proposita secernam, alio loco amplius eius quaestionem tractare me posse spero.

3) Obsisto Heriberto Meyer, qui in dissertatione 'de anthologiae Palatinae epigrammatis Cyzicenis' p. 20 dicit: 'Wilamowitzii coniectura Διὸς σκυλακεύματα pro δύο σκυλακεύματα elegantior est quam quae recipi possit', comparatis reliquis epigrammatis

III 1 τάνδε Διὸς δμαθεῖσαν

11 ἔτλης καὶ σὺ λέχη Δανάης, Πολυδέκτα, μιαίνειν
δυσφήμοις εὐναῖς τῷ Διὶ μεμψάμενος

matres ipsas ibi conspici verisimile esse concedo et Studniczkae et Rodenwaldtio l. l. p. 224/225.

In vasculo quoque Berolinensi exstat Antiopae figura, quae, quamquam caedem fugit, tamen ab artifice filiis apposita est et in imagine conspicitur. Nec probanda Studniczkae, quae sequuntur: 'Sogar unweiblich, nach Art euripideischer Furien dazu aneifernd oder ihre Zustimmung äußernd, wäre sie erträglicher wie als müßig seitab stehende Zuschauerin'. Cum minime otiose et tranquille adstet, sed sicut e pede dextro in recessu posito et e fluitantis vestis inferiore parte appropinquare eam appareat, si hasta illa et restitutoris pravo et inani dextri bracchii gestu resectis mulierem manum dextram erigentem fingimus, ut intercedens actioni fratrum supplicium Dircae tollat, eundem atque in domus 'del granduca' pictura parietum Pompeiana Antiopae animi affectum, nempe misericordiam, restituimus eamque figuram et intus et extrinsecus artius cum ceteris compositionis coniungimus.

Antiopae figuram, quantum ad stilum, Studniczka cum quattuor statuis cum comparet, ea de causa imitatoris opus esse probari dicit. Eum secutus Herkenrathius (Ath. Mitt. XXX 1905 p. 205) omnes fere eiusdem generis statuas collectas e sarcophagorum indiciis Antoninorum temporibus factas esse contendit. Equidem cum Bulleio (schön. Mensch p. 301) facio, qui hellenistica aetate horum apographorum exempla inventa esse statuit, quod 'Orestae et Electrae' compositione probari mihi videtur (Bulle p. 300 tab. 141), cuius Orestes cum Stephani Pasitelis discipuli typo congruere satis constat. Idem vestimentorum subtilium usus, eadem in ima parte ventris cingendi ratio cognoscitur. Erravit autem Herkenrathius, qui earum figurarum typum in terrae per

---

III 14 εἰς εὐνὰς ἐτράπης τὰς Διὸς εὐνετίδος mulieres a Iove imprimis adamatas ibi enarratas esse docemur, nec quemquam adhibitis fratrum nominibus Ἀμφίων καὶ Ζῆθε numerum addi exspectare puto, sed ΔΥΟΣΚ ex ΔΙΟΣΣΚ errore perfacile permutari potuisse verisimile est et Wilam. in Herm. 14, 1879 p. 168 coniectura recipienda.

figulinam artem coctae simulacris recurrere negat. Parvo plasticorum operum numero idem figulinorum respondet, quorum duo tantum afferre possum:

1) Burlington fine Arts Club Exhibitioncatal. 1888 tab. 52 no. 261, ubi duae puellae conspiciuntur ludo, qui ἐφεδρισμὸς appellatur, se delectantes, quarum altera sodalem ferens cingulo per umbilicum ducto succincta est sicut haud raro et in 'Electrae' typo apparet.

2) Fröhner, Terres cuites d'Asie mineure II tab. 70 et 104. Hic exemplar datur satyri laeti cursu festinantis vel e vino vacillantis et maenadem amplexi, cuius cingulum longe infra umbilicum curvatura per ventris inferiorem partem perducta est. Ab illo exemplo (1) minimo gradu ad 'Electrae' typum transitur [1]), hic eadem cingendi ratio est. Quibus operibus figulinis, cum e fingendi stilo hellenisticae aetati attribuenda sint, hunc 'Electrae' typum revera illis temporibus explorando (sicut in no. 1) paulatim progressum in 'Electrae' imitationibus ad finem perductum esse nec posteriore Romanorum imperatorum aetate ortum, sed tum denuo receptum esse probatur.


Quibus cognitis, cum in aliis quoque monumentis recurrat Antiopa, hoc loco eam requiri haud alienum est. Sed nunc quaerendum est, num e totius operis compositione et structura ferri possit.

Falsa ut mihi videtur via ingressus Studniczka ea, quam nunc habemus, compositione nobis minime satisfieri et quas de artis opere omnino et de Trallianorum artificum monumento ipso statuere consuevimus postulationes impleri negat. Nam cum quadratam basin habeat, frustra ut ait requiritur locus, de quo potissimum conspiciatur monumentum, eademque de causa extremas lineas male frangi [2]). Sed in opere pristina forma tradita videtur, trigona basis, nam in aversa parte baseos plinthi ante Antiopae pedes gradus quidam saxi (p. 175) exstat, qui Antiopam a ceteris

---

1) Br. Br. 664, 665 Text fig. 1.
2) 'Zerrissenheit der Konturen'.

resecat (cf. Studn. fig. 4). Totum igitur monumentum in una planitie fictum et in trigoni quoque modum exstructum erat, sicut e Studniczkae fig. 13 apparet. Sic Studniczka. Primo basin, quae gradu illo resecatur, hac ratione inusitatam et abnormem fieri dicendum est, nam cum gradus non per diagonalem lineam ductus sit, haec est forma:



Tum iterum ac saepius quaesivi, quo iure nostrum de artis monumentis iudicium nostrasque de componendarum et struendarum figurarum compositionibus sententias monumento, quod servatum est, intrudere liceat. Cur non a servatis proficiscuntur viri docti et ea, quae in monumento exstant, percipere et probare conantur? Ita certiore via pergunt quam praesumpta opinione. Et a sua via et ratione deficiens Studniczka Antiopam, quam in ectypo illo Cyziceno e silentio concluserat, hoc loco servatam removit, quia non ad suam de operis in una planitie positi sententiam quadrat. A quadrata basi profectus iam Paulus Wolters (Fr.-W. no. 1908) verum statuit. E plinthi angulis tota compositio exstructa est! Per alteram diagonalem ducta sunt fratrum corpora, ab antica parte altera diagonalis Dircae, altera a posteriore per Antiopae corpus et ut iam statuimus manum dextram erectam ducitur. Tota compositio ab angulis coepta in pyramidis forma erecta est et hoc unum Studniczkae concedo: habuisse totam compositionem unam frontem, qua potissimum conspicienda est eamque post tot virorum doctorum conamina invenisse Studniczkae magna laus est. Hunc conspectum iam ante Studniczkam antiquitus artifices noverant, pictores parietum, scalptores et gemmarum et numorum. Equidem locum, de quo conspiciendam esse

puto compositionem, contra Studniczkae fig. 13 paululum movi, cum non ab antico angulo, ubi pes sinister Dircae positus est, sed ad dextram partem conversus monumentum in basi 1 m altitudinis positum sicut in area musei Berolinensis inspiciam sursum, nam reflecto Dircae corpore, ut ab eius capitis vertice manus sinistra Zethi attingatur, sicut gemmae et numi exhibent, — eam summa crudelitate crinibus aut



Fig. 3.

retrahit aut alligat ad taurum — etiam Antiopae superior corporis pars, caput, manus erecta per lacunam conspiciuntur. Minime autem hoc uno conspectu contenti erant, sed circuitu a tribus lateribus[1]) opus conspici voluerunt artifices. Nam ab omnibus fere lateribus novus et gratus conspectus oculis praebetur neque in una planitie figurae moventur, sed tres illae dimensiones a Lysippo inventae et cultae etsi ad difficillimam, tamen ad summam et maxime artificiosam formam peractae sunt. Tot autem viros doctos de operis conspectu

1) E. Löwy, Die Naturwiedergabe in der ält. griech. Kunst p. 42 Abb. 23. cf. Fig. 3. Alinari 11149, tum 11148.

certasse huic monumento ut puto magnae laudi est, nam eius varietas plane apparet.

Iam prima artis plasticae aetate interdum conspectus a compluribus partibus et tres dimensiones obviam fiunt. Tyrannicidarum compositio eadem ratione iudicanda est. Nam cum in foro Athenarum posita esset, a tribus lateribus, dum circumibant Athenienses, conspiciebatur et quamquam unaquaeque figurarum ipsa in una planitie posita erat, tamen tota compositio a fronte tres dimensiones iam sapit. Tyrannicidis asserenda est statua pueri spinam etrahentis e planta, quem humili in basi positum undique conspiciendum esse cum Bullio (p. 358 et 361 fig. 93) consentio. Dum Herculis, qui dicitur Farnese, manu dextra, quae in tergo posita est, ambulantes circum statuam ducimur, a posteriore parte eximium nervosi tergi et malorum Hesperidum conspectum habemus. Idem monendum de 'Somni' et 'pueri illius currentis' Madriti conservati statuis (Bulle Taf. 101) imprimis autem de complurium figurarum compositione sicut de 'luctatoribus' musei Laurentiani. Harum omnium statuarum unum principalem esse conspectum consentaneum est, quem potissimum artifices vel imitatores spectabant, qui eas in picturae vel minoris et mediocris artis genera et opera traducebant, quare cum T. Fi monumentum depingerent, nonnumquam Antiopam, quae in recessu videbatur, eos omisisse non miramur. Ea componendi ratio trium dimensionum illam unius conspectus non omnino removit, sed ei successit. Nam hellenistica aetate sicut in Laocoonte omissa trium dimensionum ratione ad pristinam illam unius conspectus et ectypi in modum compositam redierunt artifices. Summum autem fingendi et componendi fastigium ars plastica ascenderat in Pasquini quae dicitur compositione, ubi motus animi et affectus, corporis optimas formas et conspectus coniunctos videmus; orientalis ars his omnino impar fuit.

3. Picturae parietum.

a) Picturarum parietum primam Herculanei anno 1853 repertam, sed nunc ut videtur perditam tractabo. (Avellino,

Mem. Ercol. III 9; Jahn A. Z. 1853 p. 96; Helb. 1152; Dilthey A. Z. 1878 p. 44 adn. 8 c; Ribbeck, Röm. Trag. p. 298.) In antica i. e. ima parte picturae, ubi supplicium Dircae paratur, amplam planitiem a sinistro latere antro, in recessu oppidi moenibus et montium declivibus areis clausam conspicimus. Ex antro exit homo, tunica indutus nudatis inde a genu cruribus. Quis sit, incertum est, sed pastorem eum esse suspicor, cuius terror vel stupor sublata manu significatur. Baculum illud curvatum fortasse pedum, quod Graeci λαγωβόλον appellabant, pastoris signum est; saccus (?) humero positus est. Falsa Jahnii opinio p. 96: 'Im Hintergrunde gewahrt man eine am Fels hinaufgebaute Stadt mit stattlichen Gebäuden und mit Mauern und runden Türmen umgeben, wie sie auf antiken Gemälden nicht eben häufig sind (cf. Ann. XXIII p. 170) und hier um so auffallender, da sie mit der alten geläufigen Sage, daß Amphion die Mauern von Theben erbauet habe, im Widerspruch stehen'. Quod in aliis quoque picturis recurrunt, hoc loco specialem sensum praebere ea, quae in recessu videntur, negandum est et minime hoc oppidum cum scena illa, quae in antica parte agitur, coniungendum et Thebarum nomine appellandum est. Sed collatis aliarum picturarum exemplis pictores topiorum areas vacuas in recessu positas aedificiis, oppidis, arboribus, montibus implevisse constat nulla ratione coniunctas cum eis, quae in scena geruntur, id unum spectantes, ut exornarent et implerent picturas (Mus. Borb. XI 34, XII 48; Zahn, Pitt. ed ornam. III 33; Ann. 1851 p. 170; G. Loeschcke, Festschr. f. Brunn p. 8 fig. 4.). Jahnius cum conspiceret picturam, recordatum tantum esse figurarum compositionis T. Fi nec pendisse ab illa pictorem contendit. Sed inversam, ut iam antea demonstravi, picturam arto conexu cum T. Fo cohaerere elucet. Eadem supplicandi ratione Dirca sublata altera manu pedem dextrum amplectitur Amphionis, qui tauri caput ad os cornuaque tenet. Eius chlamys eodem modo vento et rapido motu agitatur. Zethus solus immutatus est, etiamsi directio eadem est. (Similiter tauri cauda comprehenditur Tischbein II pl. 3 = Rein.

Rép. II 293; cf. Acrasi oppidi numum, de quo infra.) Non solum Dircae supplicium, sed etiam antri locus inversa pictura et totius imaginis directio et situs idem est atque in picturis iam tractatis (p. 60). Immutata in suum usum ratione a pictore, qui et ceterarum picturarum exempla et T. Fi compositionem noverat, hoc opus tectorium perfectum esse censeo. Sicut apud hodiernos parietum pictores illis iam temporibus apparet, formas picturarum fuisse, quae modo huc modo illuc verti poterant et convertebantur.

b) In Pompeiana Vettiorum domo inventum est aliud eiusdem generis exemplum, ubi unius conclavis ornamenta tres picturae servatae sunt: Dircae supplicium, Penthei mors, Herculis anguinum strangulatio. (Herrmann, Denkm. d. Mal. 43; Rodenwaldt l. l. p. 217.) Vettiorum domus parietes post annum 63 p. Chr. n. pictae sunt (Mau, Führer durch Pompeji 4. Aufl. p. 71, Pompeji in Leben u. Kunst p. 345). Postquam Soglianus (Atti d. Reale Acc. d. Arch. XVII Part. I no. 6) et Mauius (Röm. Mitt. XI 1896) traductam T. Fi compositionem in opus tectorium contenderunt, Herrmannus (Text p. 55) alienam a T. Fo et coniungendam cum Penthei morte, Rodenwaldtius imprimis topia illa Graecorum quinti fortasse saeculi apographa esse censuit.

Quamvis Amphionis et Dircae[1]) figurae et motus immutati sint, e quibus Amphio funem, quo taurus vinctus est, manibus tenet et in aversam directionem contra T. Fi compositionem movetur, tamen taurus, qui prioribus pedibus erectis e recessu in anticam partem prosilit, Zethi a latere conspectus, pes alter saxo impositus, manuum actio et dispositio, Dircae sub ipso tauri ventre cubandi ratio eiusque superior pars corporis nuda T. Fi compositionis memoriam — ut discrepantiam quandam omittam — eisdem fere lineamentis valde revocant. E comparatione cum Penthei pictura Rodenwaldtius areae in superiore parte dirutae Antiopae et Aracynthi (melius dixisset Cithaeronis)

1) Collum et pectus mulieris linis cinctum est, quae 'Schmuckbänder' esse cum Herrmanno consentio.

figuras attribuendas esse conclusit, quod probo, nam area illa figuris vacua ferenda non esset. Si omnes T. Fi personas sicut a plasticae artis artifice, hoc loco a pictore fictas esse constat, qui disponendi et fingendi rationem immutavit, et hac quoque via artiorem picturae cum plastico opere conexum statui gaudemus[1]). Ex altera parte mira quaedam picturae et ectypi cistae cuiusdam feralis concinnitas statuenda est; nam praeter Dircae sub tauro iacentis corpus fratrum amborum et tauri motus idem fere sunt. Quomodo haec explicemus, conferas quaeso, quae de ectypo illo dicturus sum (p. 77).

c) Aliud Dircae supplicii momentum in pictura alius domus, quae 'casa del granduca' appellatur, videmus (Rodenw. l. l. p. 53 fig. 6; Studn. p. 173 fig. 3). Fratres crudeli officio iam functi sunt, sed taurus non ita saevit sicut in ceteris. Dircae[2]) funibus alligatae pondus et conamina, ut funes solvat, tauro molestiae sunt rabiesque paulatim exoriens capite eius demissso et cauda vehementer agitata significatur. Quamquam tractui funis nondum obsequitur, sed reluctatur, tamen statim eum erigi mulieremque miseram furioso cursu rapi praesagimus. Qua de causa extremo iam mortis periculo imminente Antiopa inimicam servare studet, cum filium manu imposita retinere conatur. In recessu, partim posteriore tauri parte tecti, duo viri colloquuntur, quorum alter hasta et gladio, alter barbatus baculo illo curvato pastorum armatus est. Sane pictor, quo facilius agnoscerentur, omnes fere fabulae personas ostendit, geminos, matrem, Dircam, pastorem. Compositio fere nulla est, nam figurae, quae in recessu conspiciuntur, turbata proportione maiore altitudine sunt quam mater et filius in sinistra parte neque intellegitur, quod pastor hoc loco et hoc tempore cum altero fratrum communicet. Ceterorum monumentorum vis et motus hic frustra requiritur, immo-

1) Rodenwaldtius p. 220: 'wäre unser Bild in Anlehnung an die ursprüngliche Komposition des farnes. Stieres entstanden, so hätte die Gruppe sehr wesentliche Veränderungen durchgemacht.'

2) Corona crinibus innexa Bacchicae scenae memoria revocatur.

biles, inanes, paene exsangues personae Dircae supplicio adstant, aut languidis tantum gestibus et frigidis corporum motibus agunt. Quibus cognitis imprimis figurarum lineamentis et Antiopae vestimentorum stilo, qui easdem fere in monumentis — sepulcris Atticis — quinti et ineuntis quarti saeculi formas praebet, nempe corporis sub ipso pectore divisionem et pallii amictum, adducor, ut hoc opus pendere e pristinae Graecorum picturae exemplo contendam.

Cum hac Pompeiana pictura figurarum plastica compositio comparanda est. Exstat Romae in area domus via Margutta 54 monumentum marmoreum (Bulle, Röm. Mitt. VIII 1893 p. 246 sqq.). Ernesti Schmidtii, instituti Romani adiutoris, descriptionem nuperrime maxima liberalitate et cura datam affero: 'Die Dirkegruppe in via Margutta 54 ist noch genau so eingemauert wie zu Bulles Zeit, außerdem ist sie von dichtem Epheu bewachsen, dessen Beseitigung für eine photographische Aufnahme nötig sein wird. Sie macht zunächst den Eindruck eines Hochreliefs (der Oberkörper der Dirke hebt sich nur wenig vom Stierleib ab), doch ist, soweit man sich durch Tasten auf dem nicht eingemauerten Teil der Rückseite überzeugen kann, diese ebenso bearbeitet wie die Vorderseite, so daß es sich wohl um eine — allerdings ganz reliefartig komponierte — Rundskulptur handelt.'

Dirca ad taurum gibberum (cf. excursum) alligata est, qui eadem ratione atque in pictura, quid faciendum sit, deliberat. Caput eius non adeo demissum est, cauda agitata in posteriore parte conspicitur. Dirca altius alligata est, ut vertice tauri altitudinem exsuperet, bracchium eius sinistrum magis flexum in cervicem ducitur, ut funes solvat, dextrum ad latus pendet laxum. Inferior corporis pars vestimento, superior nudato sinistro pectore pelle tegitur, sicut in T. Fi monumento. Pallium vento agitatum sicut in pictura. Mira ut videtur concinnitas amborum monumentorum. Sed non ut Bullius (l. l. p. 248) diiudico: 'Vielmehr haben der pompejanische Maler oder sein unmittelbares Vorbild die plastische Gruppe zu ihrem Zwecke verarbeitet.' Nam pictorem parietum, cum plasticam compositionem depingeret, gibberum taurum quoque, ut novum et inauditum in Italia illis temporibus, in parietum picturam recepturum fuisse crediderim. Quod cum non fecisset, artificem sua sponte immutasse eum in bovem domesticum negaverim, sed hausisse eum e communi quodam archetypo apparet. Cum eius archetypi apographa in Asiam venissent, hellenistica aetate taurum gibberum intrusum esse censeo; alia autem apographa, cum non per Asiam in Italiam pervenissent, bovem domesticum pristini exempli suo iure tenebant. Sensit hoc iam Bullius ipse, cum dixit p. 248: 'Es scheint mir außer Zweifel, daß unsere Gruppe und das Wandgemälde casa del granduca von einem nur ihnen beiden gemeinsamen Vorbild abhängen . .', sed postea sententiam immutavit.

Quare fortasse deliberandum est, sitne simili ratione diiudicandum de conexu T. Fi cum picturis a et b, quae eandem imaginem praebent. Nam earum concinnitas aliter probatur, cum fieri potuisse concedas, ut et illa T. Fi compositio et picturae parietum ex eodem fonte fluerent, ut Rhodiorum artificum opus traditi cuiusdam pristini exempli plastica imago esset. Ex altera parte Graecorum pictorum exempla continuatione picturae usque ad Pompeianos illos artifices pervenissent, eorumque cum plastico opere concinnitas statuenda esset, quod ex eodem fonte hausta essent et eiusdem pristini exempli apographa. Sed cum haec difficiliora et coniecturis minime firmis, cum de pictura Graeca tantillum constet, implicata sint, in illis parietum picturis T. Fi imaginem ut in turbato nonnumquam speculo conspicere malim, quam eadem uti ratione atque in tauri gibberi compositione illa et pictura domus 'del granduca'.

4. Etruscorum cistae ferales.

a) A simplicissima monumentorum forma orsus cistae cuiusdam ectypum nunc Volaterrae conditum tractabo (Körte, I rilievi delle urne etrusche II tab. VI, 1). Infra taurum

alte erectum Dirca nudata superioris corporis parte cubat, quae manu altera saxo innititur, alteram supplicandi gestu tollit, a sinistra parte alter fratrum, dum altera manu taurum fune retinere, altera chlamyde implicata Dircam comprehendere studet, ab eodem fere latere conspicitur atque in T. Fi monumento. Ante taurum alatus daemon manu dextra sublata fustem vibrat. Quis daemon alatus sit, comparato eiusdem typi monumenti fragmento tab. VI, 2 apparet, nam infra huius ectypi fracturam in dextro latere femora et crura viri conspiciuntur; area vacua vestimenti laciniis tantum expletur, neque alarum pennae nec fines apparent, quare in hoc ectypo vir ille non exstat alatus, sed re vera homo et alter fratrum est (cf. Jahn A. Z. 1852 p. 502). In hoc ectypo VI, 1 idem homo immutata forma sub daemonis specie recurrit, quod saepius in ectypis Etruscis invenitur. In raptu Helenae (vol. I tab. XVII) unus sodalium Paridis, qui Helenam sequitur, in daemonem mutatus tab. XXIV, 16, XXV, 18. Idem in Telephi monumentis XXVII, 4; XXXII, 14; XXXIII, 15, 16; in Troili caede feminae LI, 7 et Troes adstantes LI, 8 mutantur LIII. Sive errore sive consilio sculptor hoc quoque loco immutavit[1]). In sinistro ectypi latere mulier nuda velo circumfusa stat, quae nullo modo cum reliqua compositione coniungi posse videtur, quod averso capite extra marginem ectypi oculos mittit. Quare Jahnius (A. Z. 1853 p. 101) Antiopam eam esse negat, sed Venerem opinatur collatis Paridis exemplis (Koerte I tab. I 3, II—V), ubi inde a tab. IV eadem mulieris nudae figura alata et vehementer mota nonnumquam etiam facem tenens recurrit. Eius crura in fragmento illo II tab. IV 2 inde a genu conspiciuntur, ubi taurus quoque non ita erectus est, cum pes unus supra Dircae gremium sit. Jahnii argumento nihil

1) Alatae figurae, daemones, in Italiae meridionalis regionibus, in Campaniae et Apuliae vasculis saepius recurrunt, cf. Furiae Mon. d. Inst. II tab. 49, A. Z. 1843, 13; 1844, 15; Engelm. p. 80 fig. 25. Earum typus ab artificibus cistarum receptus est. Cf. Bulle schön. Mensch. p. 373 fig. 99 in cista Aruntis Volumnii.

profici mihi videtur, nam Veneris in Paridis exemplis figuram depromptam hoc loco sub mulieris nudae forma conspicimus, tamen eam Venerem appellare minime cogimur, sed haud alienum esse puto matrem filiorum re vera supplicio adesse sicut in aliis monumentis huius fabulae iam statuimus (aliter sentit Koerteius II 1 p. 15). Aversa capitis directio ex imitatione exempli nimis accurate a sculptore vel potius operario descripti probatur. Horum ectyporum typum ad T. Fi compositionem redire opinor; Antiopam in monumento illo in recessu positam hoc loco iuxta posuit et cum totius imaginis directio et motus in dextram partem fluant, mater post scenam ipsam quasi in recessu posita videtur. Pictura domus Vettiorum cum arte coniungenda sit cum hoc ectypo, quamvis multo recentior sit eo, pendere ab eo nequit, sed hausisse amborum artifices ex archetypo quodam apparet, quem diligenter descripserunt et parietum pictor et ectypi sculptor. T. Fi artifices sane ante oculos habuisse vel haud ignorasse eundem archetypum crediderim. Cum autem opifices mediocres non fuissent, libera artificum voluntate, ut exempla interdum aegre cognoscantur, propria et ipsorum ingenii et artis documenta ediderunt. Itidem de T. Fi monumento, cum pristini exempli principia e collata et comparata domus Vettiorum pictura eluceant, iudicandum est.

b) Auctum et amplificatum typum in musei Berolinensis ectypo olim Cortonae servato ante oculos habemus (Koerte II tab. IV, 3; Beschreibung d. Skulpt. no. 1278). Compositio longe alia est; nam cum zophori in latitudinem distracta sit, Dircam, quae sub tauro ipso cubabat, in posteriore eius parte posuit artifex, eademque ratione taurum non erectum, sed modo currentem finxit et ex ima et summa parte totam compositionem, quo magis zophorus conspiceretur, ornamentis mere decorativis inclusit. Figurarum numerus auctus est, quod Lycus rex cum satellitibus advolavit, e sculptoris fortasse magis sententia, ut coniugem servaret, non ex Euripidis. Quare interpretatio difficilior facta est. Sed in tauri quoque domandi com-

positione difficultates insunt, nam cum alter fratrum heroica nuditate conspiciatur, alter in ministri modum vestitus comparatis cistis apparet (cf. Jahn A. Z. 1852 p. 502). Tamen propter Dircae [1]) perterritae gestus et sedendi vel cubandi rationem praeparationes supplicii conspici credo. Area sub tauri ventre et pedibus alterius fratris vacua optime expletur viri a tauro profligati corpore et Phrygico galero, quos e Graecorum exemplis et typis deprompsit artifex Etruscus (cf. Furtw.-Reichh. Text II p. 144). Quin in sinistra parte rex Lycus sit, non dubitandum est, cum regali habitu et baculum nobilis viri signum ferens incedat satellitibus circumdatus [2]). Eiusdem fere formae ectypum a Koerteio (Text p. 15, 3 a) affertur, ubi omissus est vir ille profligatus, sed canis saliens conspicitur.

c) Ex eadem officina — nam ornamenta decorativa in ima et summa margine ectypi eadem sunt — ectypum (Koerte II tab. V) permultis figuris refertum videtur esse. Dubitante Jahnio (A. Z. 1853 p. 102, 103) Ribbeckius figuras — in sinistra parte incipio — ita nominavit: Zethus, minister, Lycus, Amphio, pastor, Dirca, Antiopa. Sed cum figura in ara sedens femina esse nequeat, quod virilem habitum praebet, Koerteius ut Bacchici festi sodalem hunc virum adesse et intueri quid agatur, proponit. Hoc autem in viro sedente, cum non placeat Koertei difficultatum solutio, postquam diu deliberavi, de interpretando ectypo desperavi nec Robertum virum doctissimum Dircae supplicium, sed ni fallor Thesei Marathonii tauri venationem illustratam suspicari per litteras edoctus sum.

Quibus exemplis usi Etruscorum artifices mythologiarum et fabularum scenas finxerint, breviter exponam. Sicut in pictura parietaria et vasculorum arte Ionum imprimis exemplis Ionibusque magistris usi erant, in sculpendis sarcophagis

1) Non vincula sunt, quibus manus Dircae cinctae sunt, sed armillae; circa collum torquem globosis finibus fert.

2) Mira quadam interpretatione Avellinus Mon. Ercol. III p. 411/412 virum illum baculum ferentem pastorem esse proposuit et Lyci personae satellitem scutum ferentem attribuit.

et cistis feralibus eadem ratione exempla ipsa depinxisse eos constat, ut perditorum monumentorum nonnulla illis adiutoribus restitui possint, sicut Ulixem in Polyphemi antro versantem et Marsyam cum Apolline certantem. Harum cistarum numerus nondum satis pertractatus est, quamvis gratum et opera dignum sit. Tamen magna e parte artifices e fabularum argumentorum collectionibus et mythologiarum libris figuris et delineationibus exornatis sumpsisse verisimile, nonnumquam, sicut hic, monumentorum exempla ipsa et artis fontes ipsos adisse certum est.

Alius ectypi eburnei rudera non amplius tractabo, sed quae exstant in libro, cui inscribitur 'Guida illustrata del Museo Nazionale di Napoli' p. 394, afferre satis habeo, cum omnino consentiam cum illo auctore: 'Attaccati su di un cartoncino giallo: Diversi frammenti d' una copia, probabilmente in alto rilievo, del Toro Farnese, no. 260 (da Pompei, cfr. Mem. Acc. Ercol. III p. 401 tab. VIII, e O. Jahn in Arch. Zeit. 1853 p. 94, tab. 56; in ambe le pubblicazioni vien citata ed illustrata anche la testa di Amphion, che ora non esiste più. La quiete et mancanza d' espressione che pare si possano riscontrare su qualque dettaglio, è da attribuirsi piuttosto alla mediocre fattura della copia, anzichè ad una concezione diversa da quella del gruppo farnese, come vuole lo Jahn).'

5. Gemmae scalptae.

Etiam mediocris artis artifices Antiopae fabulae exempla in exornandis monumentis adhibuisse eosque contra pictores parietum, qui praeparationes supplicii semper describebant, tertium quoque supplicii ipsius momentum, Dircae solae tractum, depinxisse videmus.

a) Magna quadam concinnitate gemma musei Neapolitani (A. Z. 1853 tab. 56, 1, Studn. fig. 12), quam ita fractam esse dolemus, ut pars minor tantum exstet, alterius fratris capitis erecti et manuum motu, pedum statu, fluitantis chlamydis forma, tauri a viro illo ad os cornuaque comprehensi et erecti specie T. Fi memoriam revocat, ut ab eo

ipso pendere et ex altera parte illius compositionem, sicut nunc habemus, corrigendam esse viri docti censuerint (cf. Studn. adn. 2). Alter fratrum sinistra manu Dircam, cum crines comprehendat, retrahit, quo melius teneat aut vinciat. Ita corporis eius superiore parte resupina, manibus supplicandi ratione erectis omnino inopem et auxilio destitutam esse mulierem apparet. Miser atque flebilis est aspectus, quem cum iterum recurrat in numo oppidi Thyatirorum, ex eodem fonte sumptum esse constat, nempe e Trallianorum artificum opere.

Ceterarum gemmarum [1]) fontes alio loco requirendi sunt. Nam cum Dircam solam a tauro tractam praebeant, et e continuatione eius typi, quem iam in vasculi Berolinensis sinistra parte recurrere novimus, et ex ipsorum artificum fingendi ratione imagines scalpi potuerunt, cum ipsius lapidis formae adaptatae sint eiusque oblongum spatium optime expleant. Sed inter se differunt ratione, qua Dirca sub tauri ventre posita et alligata est.

b) Furtwängler, Ant. Gemmen Taf. 25 no. 22 (Text II p. 126).

'Quergestreifter Sardonyx der Sammlung Story Maskelyne. Der wütende Stier, an dessen Hörnern mittels eines Strickes Dirke gebunden ist, die er am Boden schleift. Dirke trägt langen Chiton. Der Stier ist relativ sehr groß gebildet.'

c) Ibid. Taf. 41 no. 44 (Text II p. 198).

'Karneol in Berlin no. 6879. Dirke (vollbekleidet) ist mit einem Strick an den Leib des rasenden Stieres gebunden und wird von ihm geschleift.'

6. Numi.

Numorum auxilio eo magis uti cogimur, quod praeter temporis significationem interdum in aversa parte simula-

1) Gemma mus. Berol. (Müller, Denkm. a. K. I 47 p. 215b; Dilthey 7c; Jahn, Arch. Beitr. Tfl. 3, 3; Toelken p. 257 no. 6.) a Furtwaenglero (Gemmen des Brl. Mus.) no. 9570 sub titulo 'moderne Stoschische Pasten meist nach antiken Steinen' posita est.

crorum et monumentorum praeclarorum imagines redditae sunt [1]).

a) Exeuntis alterius post Chr. n. saeculi et ineuntis tertii in exemplis afferendus imprimis est Thyatirorum, oppidi Lydiae, numus Vindobonae solus conditus, quem sicut gemmam mus. Neapol. apographum ipsius T. Fi esse iam supra diximus. (Eckhelii num. vet. anecd. XV, 1 imago peior reddita in Mülleri Denkm. a. K. I 47, 215b; Ann. XI 1839 p. 287/88; Studn. p. 182 fig. 11; Sallet, num. Zeitschr. XIV tab. II 3.) Alexandro Severo regnante (222—235) illud oppidum una cum Acrasiotum vico numos percuti curabant, quibus illius regionis cum artificum Trallianorum patria conexus illustraretur, eoque magis T. Fi monumentum in numis adhibuerunt, quod Amphio cum illis regionibus per Niobam uxorem coniunctus erat. Nam cum ad mythologiarum fabulas redirent, oppidi ipsius vetustatem ostendi illa Romanorum aetate incolarum magni interfuit.

b) Acrasi, oppidi Lydiae, numorum tria exempla exstant:

1. Berolini
2. Vindobonae;

de utroque ex eadem forma expresso iam egit de Sallet (Num. Zeitschr. XIV tab. 2, 1, 2).

3. Londinii mus. Brit. fortasse ex eadem forma expressus est numus, sed minus plane et accurate perspici potest (Catal. of greek coins Brit. Mus. Lydia Tab. 2, 2).

Horum Acrasi numorum typus a Thyatirorum recedit, cum Dirca sub tauro cubet et fratrum alter sicut in pictura Herculanei reperta posteriore tauri parte et pedibus persecetur. Sintne duae haec monumentorum species inter se coniungendae, an casu quodam concinnitas exorta sit [2]),

1) cf. Dianam in Augusti aureo Sallet-Regling, Die antiken Münzen p. 88, Martem ad Rheam Silviam descendentem p. 105, Perseum Medusam interficientem adstante Minerva G. Loeschcke, Festschr. für Brunn p. 9 fig. 6.

2) Cum in pictura vir ille tauri caudam comprehendat, in num autem funem teneat, ea confundi potuisse concedo.

valde dubium. In utroque numo taurus gibber Asiae signum conspicitur.

Numis adnectendi sunt typi alius generis, quod nos propter marginem paululum editam 'Contorniaten' appellare consuevimus. Quem ad usum expressi sint hi numi, sintne tesserae ludorum circensium an ludi cuiusdam signa et notae sicut aleae, 'adhuc sub iudice lis est' (cf. de Sallet l. l. p. 133 ss.)[1]).

1. Berolini, de Sallet Num. Zeitschr. XIV p. 13.
2. Cohen, Descr. des monn. impér. VIII 282 no. 65 = Auktionskatalog Slg. Robert, Mailand 1898 (bei Jules Sambon) tab. 10, 1179; ubi nunc sit, ignoratur.
3. Tria exempla:
   a) Londinii mus. Brit.; Sabatier, Descr. des méd. contorn. XIV, 8; in aversa parte Homeri (ΩΜΗΡΟΣ) imago.
   b) E collectione Ficoroni A. Z. 1853 tab. 58, 1b (delineatio incerta non iam sufficit).
   c) Apud Sixium Amstelodami.

   Genera 1, 2, 3 alterum typum exhibent et ex eadem fere forma expressa sunt, nam leviter tantum singula immutata sunt.
4. Alterum typum duo ut videntur exempla praebent:
   a) Lutetiae Parisiorum, Sabatier XIV, 9; in aversa parte Traiani imago: DIVO TRAIANO.
   b) E collectione Hedervar A. Z. 1853 tab. 58, 1a, de quo locus ignotus. Cum Lutetiae viros doctos consulerem, num idem numus esset atque e collectione Hedervar, dum imaginem in gypso expressum liberaliter mihi concesserunt, responsum omiserunt.

Excursus.

De tauro gibbero, quem in tractandis monumentis tetigi, exeunte opusculo disserere mihi licet, eo magis quod in

1) Cf. W. Froehner, Les médaillons de l'Empire Romain, introduct. p. XII sqq.

libris, qui de animalibus antiquorum temporum sunt[1]), summatim de eo agitur eiusque monumentorum numerus amplificari potest.

Suidae καμηλίτης βοῦς ab Aristotele, qui primus tauros gibberos descripsit hist. anim. VIII, 28, nondum certo nomine appellatur 'ἐν δὲ Συρίᾳ τὰ πρόβατα τὰς οὐρὰς ἔχει τὸ πλάτος πήχεως. τὰ δ' ὦτα αἱ αἶγες σπιθαμῆς καὶ παλαιστῆς, καὶ ἔνιαι συμβάλλουσι κάτω τὰ ὦτα πρὸς τὴν γῆν· καὶ οἱ βόες, ὥσπερ αἱ κάμηλοι, κάλας ἔχουσιν ἐπὶ τῶν ἀκρωμίων. Plinius N. H. VII 176 (70) a bubus Indicis Syriacos (179), de quibus egerat Aristoteles, seiungit. Cum Aristotelem ex Alexandri Magni expeditionibus in Syria eos cognovisse constet, apud Plinium, unde eos noverit, omnino incertum. Alexandri Magni expeditionibus in Asiam (minorem), fortasse in Macedoniam quoque boves illos advectos esse verisimile est, nam eos postquam in India imprimis cognoverant, in patriam deduxisse milites videntur. Teste Arriano an. 5, 3, 5 Alexandro 3000 boves dono dati sunt alioque loco 4, 22, 6 (cf. 5, 8, 3), cum Taxiles denuo dona afferret, his infuisse boves e verbis δῶρα τὰ μέγιστα παρ' Ἰνδοῖς νομιζόμενα κομίζοντες fortasse hi quoque cum auro, argento, elephantis in Indorum divitiis numerabantur. nam conferendus est locus Curtii Rufi VIII 12, 11: '. . . laetus simplicitate barbari rex et dexteram, fidei suae pignus, dedit et regnum restituit. LXI elephanti erant, quos tradidit Alexandro, multaque pecora eximiae magnitudinis, tauros ad III milia, pretiosum in ea regione acceptumque animis regnantium armentum'. In libris ante Aristotelem tauri gibberi non inveniuntur; itidem in monumentis; in quorum numero — Aegypti[2]) et Assyriae[3]) monu-

1) O. Keller, Tiere des klass. Altert. p. 66 sqq; O. Keller, Die antike Tierwelt, I p. 330; J. Ziehen, Die Darstellung der Tiere in der ant. Kunst, Bericht d. Senckenberg. Naturforsch. Ges. in Frankfurt-Main 1910 p. 283.

2) In Aegypto recentissimi fortasse iam medii regni aetate eos recurrere a viro doctissimo Ermano didicisse me grato animo confiteor.

3) Casu inveni unum exemplum sigilli cylindrati Zeitschr. für Ethnol. 1913 p. 639 fig. 3 (cf. Amer. Journ. 1911 p. 222 fig. 1).

menta omitto, cum eorum compos non sim — ita rem instituam, ut singularum regionum exempla praebeam.

Syria.

1. Catal. of greek coins Brit. Mus.: Seleucid kings of Syria 2, 14, 15; 6, 10, 12.

2. Babelon, Catalogue des bronces antiques de la bibl. nat. no. 1136 (Tortose, Syrie).

3. Iovis Heliopolitani simulacrum, cuius ad pedes taurus gibber accubat, Gaz. arch. 1876 tab. 21; parva eiusdem Iovis simulacra e plumbo excisa et caelata in museo Berolinensi sunt et mox ut videtur publici iuris fient. (Romanorum imperatorum altero et tertio post Chr. n. saeculo exstiterunt.)

Cyprus.

In hac insula propter Phoenicum et Aegyptorum propinquitatem et mutuum usum taurum gibberum recurrere haud miramur. Exemplis iam notis equidem asserere possum:

1. Ectypum satis corrosum, ubi taurus a leone profligatur, Cesnola, Coll. of cypr. antiquit. I tab. 94 no. 6.

2. Sarcophagi ectypum venationem praebens, Ant. Denkmäler III 5.

3. Lapis scalptus Amathunte repertus, nunc in mus. Brit., Furtw. Ant. Gemmen tab. 64, 9: bos quieti se dat in palude, quae calamis significatur.

Asia.

Haud raro inveniuntur simulacra parva aere ficta, ubi taurus gibber in basi positus conspicitur, de quibus, quo tempore exstiterint, cum leviter et negligenter nonnumquam expressa et caelata sint, non constat.

1. Berolini no. 2365 et 2375 (cf. tab. IV 1, 2).
2. Reinach, Répertoire de la Statuaire III 215, 2.
   B. Comana. Chantre, Miss. en Cappadoce pl. 24, 5.
3. Rein. Rép. III 215, 4.
   Chantre, Miss. pl. 25, 7.
4. Rein. Rép. III 216, 6.
   Chantre, Miss. pl. 24, 2.

5. Rein. Rép. IV 482, 4.
   Vente Gréau pl. 110.
6. Rein. Rép. IV 491, 2 Coll. Courtot.
7. Rein. Rép. IV 492, 2 Délos.

Romanorum imperatorum aetati certe attribuenda sunt, quae sequuntur:

8. Texier[1]), Descr. de l'Asie mineure I 46 (45): zophorus proscenii theatri Hadriana aetate exstructi.

9. Texier I 52: ectypum e vico, qui nunc Koula appellatur.

10. Texier III 158, 2: zophorus alatorum iuvenum praebens venationem ex oppido Aphrodisiade (cf. Pauly-Wiss. I 2726, 2).

11. Lanckerónsky, Die Städte Pamphyliens und Pisidiens II p. 49, 50 fig. 7, 8: sacrificium Iovi Solymeo dedicatum.

12. Ectypum Inv. 1668[2]) adhuc in receptaculis musei Berolinensis conditum ex oppido, quod nunc Gallipoli nominatur, sed fortasse Olbiae Mysiae attribuendum.

In superiore area deus, cui libatio fit, conspicitur, Iuppiter fortasse, si collatis aliis ectypis titulum recte constituimus. In inferiore parte sacrificii causa taurus gibber ante aram, in qua flamma est, stat, cuius ad nares funis alligatus et inde per anulum in arae basi ductus est, quo facilius taurus capite in solum detracto immoletur (cf. tab. III 1). Infra tituli versus leguntur, quos ego sic restituo:

ΓΑΙ]ΟΣ[3]) ΑΙΛΙΟΣ ΑΤΙΛΙΟΣ ΙΕΡΕΥΣ
ΔΙΙ] ὈΛΒΙΩ ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

Comparandum est ectypum cum similibus eiusdem regionis B. C. H. XXIII 1899 tab. 4; 5, 2, ubi Iovi Maximo (Ὑψίστῳ) immolatur. In hoc ectypo Iovis stantis figuram eandem, sceptrum et pateram tenentis, et aram, ad quam taurus

1) Ut in Texieri monumentis adhibendis cauta ratione versentur viri docti, monuit Michaelis l. l. p. 76.

2) Wilam. suppl.

3) 1, 23 m altitudinis; 0, 43 latitudinis, supra; 0, 41 latitudinis, infra; litterarum altitudo 2,7—2,9.

accubat sive alligatus sive iam exanimatus, videmus (cf. B. C. H. XXXII 1908 tab. 5, 6 p. 521, ubi Iuppiter eandem corporis formam, sed tauri caput praebet); quantum ad tempus horum ectyporum, conferas Studn. Trop. Trai. p. 132 adn. 24.

13. Eiusdem fere regionis exemplum terrae per figulinam artem coctae in museo Berolinensi servatur repertum in vico Nefesköi, quod rusticae manus opus hellenisticae ni fallor aetati attribuendum esse doceor[1]) (cf. tab. III 2).

14. Prienarum reliquiarum in numero nonnulla fragmenta taurorum gibberorum esse docemur opere illo 'Priene', quo, quae ruinis effossa sunt, publici iuris facta sunt, ubi p. 163 duo exempla afferuntur:

'Berlin 8622 L. 0,08 mit zurückgebogenem Kopf (cf. tab. IV 3). Konstantinopel 1617 L. 0,13 geradeaus blickend.'

15. Quomodo autem in posteriore imprimis Romana aetate taurus ille in Asia, ubi domestici animalis locum ubique obtinet, recurrerit, nulla re melius nisi numis intellegitur, quarum enumerationem hanc praebeo:

Catalogue of greek coins Brit. Mus.:

Lydia Tab. 6, 3; 30, 2; 31, 7 (Thyatira); 34, 2, 3, 4, 5 (Tralles)
Lycia 13, 7, 9; 33, 6
Ionia 14, 9; 18, 1, 2, 3, 4, 8; 19, 2, 10
Cilicia 30, 10—13; 31, 1, 2, 7
Pontus 7, 1; 21, 6; 25, 2
Phrygia 9, 7; 18, 3
Caria 3, 3, 4, 5; 24, 8; 25, 4
Alexandria 6, 1050
Mysia 22, 13; 30, 6; 31, 3, 5
Cyprus 13, 6
Galatia 5, 1; 13, 11; 35, 6

1) long. 0,20; alt. 0,137; maxime artificiosum et longe praeclarissimum exemplum aere factum musei Berolinensis alio loco a Wiegandio viro doctissimo publici iuris fiet.

Graecia.

In Graecia rarissime invenitur:

1. Burlington Fine Arts Club, Exhibition of anc. greek art 1904 tab. CXII O 96 (Text p. 225 no. 96)

'Zebu bull. Chalcedony scarabaeoid, greek work of the fourth century, made in Asia minor. The oldest representation of the Zebu in greek art. Length 22, width. 10½.' Sed erravit auctor, nam primum Graeciae i. e. in Graecia repertum exemplar insequens no. 2 est.

2. Fröhner, Coll. Tysckiewicz tab. 24 no. 18 (dans le champs devant le bœuf le chiffre hiéroglyphique 10) = Furtw. Ant. Gemmen tab. 12, 6. Qui lapis, cum in Graecia repertus, sed in Cypro iam scalptus sit et teste Furtwaenglero quarto, fortasse iam quinto a. Chr. n. saeculo attribuendus sit, omnium exemplarium in Graecia repertorum series incipit ab eo; illum autem, qui proximus huic antecedit no. 1, Alexandri eiusque successorum aetate factum esse, cum eorum animalium numerus in Asia expeditionibus Indicis auctus esset, verisimile est.

Septentrionalis ora Ponti, qui dicitur Euxinus.

Trésors d'argenteries Ermit. Pétersbourg 126, 206; Rein. Rép. de reliefs III 512.

Hic artus conexus ex mutuo illarum regionum cum Indicis usu statuendus est; nonnumquam Indorum typi paululum immutati in argentea et aurea supellectile conspiciuntur.

Vita.

Natus sum Iohannes Schaal in oppido Tellicherry in Indiae provincia Malabar sito a. d. V. Kal. Apr. 1888 patre Carolo, matre Lydia e gente Laissle, quae praematura morte mihi erepta est. Fidei addictus sum evangelicae. Vere 1907 maturitatis testimonium in gymnasio Goetheano Francofurti ad Moenum adeptus per unum annum Friburgi stipendia meritus sum. Vere 1908 universitatem adii Bonnensem, autumno 1909 Berolinum me contuli, autumno 1910 Bonnam reversus inde autumno 1911 iterum Berolinum adii.

Docuerunt me Bonnenses: Brinkmann, P. Clemen, Elter, Funaioli, Loeschcke, Marx, de Mess, Nissen, de Salis, Solmsen †; Berolinenses: Dessau, Diels, Erdmann, Friedlaender, Hintze, Hirschfeld, Kekulé de Stradonitz †, Loeschcke, Ed. Meyer, E. Norden, Preuner, Rambeau, Rodenwaldt, Roethe, Stumpf, Vahlen †, de Wilamowitz-Moellendorff, Winnefeld, Woelfflin.

Per sex menses proseminarii philologici Bonnensis, seminarii Berolinensis per tria semestria sodalis fui Dielesio Nordeno Vahleno † Wilamowitzio moderantibus. Ad archaeologicas exercitationes et seminarium Loeschcke iterum ac saepius, ad historicas Nissen, Hirschfeld, Ed. Meyer, ad epigraphicas Dessau, Preuner me admiserunt.

A viris doctissimis musei Berolinensis, qui aut dirigendi aut administrandi munere funguntur, Wiegand, Winnefeld, Zahn, Koester, Schroeder maxima liberalitate opere consilio semper adiutum me esse grato animo confiteor.

Quibus viris cum omnibus tum Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, Georgio Loeschcke, Evaldo Bruhn quam maximam habeo gratiam hic et ubique.

Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena. — 4465.



Vita.

Natus sum Iohannes Schaal in oppido Tellicherry in Indiae provincia Malabar sito a. d. V. Kal. Apr. 1888 patre Carolo, matre Lydia e gente Laissle, quae praematura morte mihi erepta est. Fidei addictus sum evangelicae. Vere 1907 maturitatis testimonium in gymnasio Goetheano Francofurti ad Moenum adeptus per unum annum Friburgi stipendia meritus sum. Vere 1908 universitatem adii Bonnensem, autumno 1909 Berolinum me contuli, autumno 1910 Bonnam reversus inde autumno 1911 iterum Berolinum adii.

Docuerunt me Bonnenses: Brinkmann, P. Clemen, Elter, Funaioli, Loeschcke, Marx, de Mess, Nissen, de Salis, Solmsen †; Berolinenses: Dessau, Diels, Erdmann, Friedlaender, Hintze, Hirschfeld, Kekulé de Stradonitz †, Loeschcke, Ed. Meyer, E. Norden, Preuner, Rambeau, Rodenwaldt, Roethe, Stumpf, Vahlen †, de Wilamowitz-Moellendorff, Winnefeld, Woelfflin.

Per sex menses proseminarii philologici Bonnensis, seminarii Berolinensis per tria semestria sodalis fui Dielesio Nordeno Vahleno † Wilamowitzio moderantibus. Ad archaeologicas exercitationes et seminarium Loeschcke iterum ac saepius, ad historicas Nissen, Hirschfeld, Ed. Meyer, ad epigraphicas Dessau, Preuner me admiserunt.


A viris doctissimis musei Berolinensis, qui aut dirigendi aut administrandi munere funguntur, Wiegand, Winnefeld, Zahn, Koester, Schroeder maxima liberalitate opere consilio semper adiutum me esse grato animo confiteor.

Quibus viris cum omnibus tum Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, Georgio Loeschcke, Evaldo Bruhn quam maximam habeo gratiam hic et ubique.

Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena. — 4465.










1



2



1




2



1



2



3



1



2



3

BRITTLE DO NOT
PHOTOCOPY